
JE MAINTIENDRAI.

ph: 11 Aug: 1830 No. 37.

TRACTATUS MEDICUS

DE

SYMPATHIA.



H.J. REGA.

TRACTATUS MEDICUS

DE

SYMPATHIA,

SEU CONSENSU PARTIUM CORPORIS HUMANI AC POTISSIMUM VENTRICULI, IN STATU MORBOSO,

AUCTORE

H. J. REGA,

IN CELEBERRIMA LOVANIENSIUM UNIVERSITATE MED. DOCT. ET PROF. PUBL. PRIM.

RECENSUIT, EMENDAVIT, PRÆFATUS EST NOTULASQUE QUASDAM ADJECIT

M. VANSEVENDONCK,

MED. DOCT. BRUXELLIS PRACTICUS.

Confluxio una, conspiratio una, et consentientia omnia.

Hipp. de alim. § 4.

LOVANII,

TYPIS PEETERS ET LAMEERE,

IN VETERE FORO, N° 13.

MDCCCXXX.

De vereischte exemplaren zyn in gevolge de wet van 25 January 1817 afgeleverd.

EDITORIS PRÆFATIO.

Exercitationes clinicas, tyronibus Hippocraticæ artis salutarem usum edocendis non utiles modo, sed et prorsus necessarias [1], primum vel ipsos magistros fugisse, deinde, donec easdem tandem, augustissimis Principibus nostris Maria-Theresia Josephoque II faventibus, Viennæ rite auspicarentur viri laudatissimi Van Swieten et De Haen, mancas et claudicantes exstitisse, quis inficietur? Qua ex lacuna quot quantique per sæcula manarint errores, vix dicere ausim : ne plura; ex hypothesibus falsisque dogmatibus ad nil recidisse artem medicam quisque novit et facile confitetur per incongruam rationem haud semel evenisse, ut optima habitudo pessumdaretur, morbi ingravescerent et homines alioquin

1 Les médecins instruits par la pratique surpassent infiniment ceux qui n'ont appris qu'à discourir, parceque les maladies ne se guérissent point par la spéculation et l'éloquence, mais par leurs remèdes propres que le seul usage et l'expérience ont fait découvrir. Aubry, les Oracles de Cos, disc. prélimin.

valentissimi immature nonnumquam præriperentur. Quo accidit, ut hanc nostram disciplinam exploderent Poetæ comici, Medici vero cordati, non quos auri sacra fames urgeret, sed una hominum salus moveret, jure merito dubitarent obesset an prodesset mortalibus res medica.

Attamen initio sæculi decimi octavi, ante etiam quam prisci erroris caliginem depulisset peritioris philosophiæ exoriens jubar, tot tantorumque malorum scaturiginem quam diligentissime exploravit Rega noster, almæ Academiæ, quæ Lovanii tunc florebat, decus et ornamentum, eamdemque quantocius pro viribus occludere statuit ac decrevit; lætoque omine contigit, ut clarissimus ille Professor, annis quidem juvenis, prudentia autem senex, febrium in genere genuina sede et, vi vera Medicinæ realis sive causalis detecta idealisque fallaces inanias respuens, in aureo hocce libello sparsim obvium hunc canonem perpetuo stabiliret : « Universam
» theoriam, vel etiam praxim medicam, eatenus
» esse tutam, quatenus scilicet materiali cor-
» poris humani fabricæ et mechanismo ac claræ
» consensus partium notitiæ innititur, prælu-
» cente observatione et experientia, nequaquam
» dominante prævia ipsa ratione. »

Primum hoc scientiæ medico-philosophicæ, prout ab illustribus viris, in Gallia præsertim [1], colitur, evidens stamen dilectissimis amicis (quo dulci nomine egregius ille vir appellare consueverat auditores quos ex omni gente et natione fama ejus arcessebat, disciplina alliciebat) viva voce continuo communicavit; verum post paucos annos sæpius multisque modis probata præcepta contraxit pervulgavitque edito hoc de sympathia tractatu quem, tanto ingenio attoniti, æquales grato accepere animo et nos, quidquid recentes Zoïli moliantur obstrepentve, perenne habemus præstantissimæ doctrinæ organicæ monumentum, postera quoque ætate peritissimus quisque pie demirabitur.

Neque obtrectator, si quis forte latrare voluerit, ex parciori fructu et longiori hominis

1 Illius statum pulchre admodum delinearunt viri sagacissimi Roche et Sanson hisce verbis : Depuis quelques années, la médecine a fait en France d'immenses progrès. La nature d'une foule de maladies a été dévoilée; le diagnostic du plus grand nombre a acquis une précision admirable ; une thérapeutique rationelle a remplacé l'aveugle empirisme; et les faits ont été liés entre eux par une théorie satisfaisante, qui imprime enfin à la médecine ce caractère de science qu'elle attendait vainement depuis vingt siècles. Nouv. éléments de Pathol. medico-chirurg. tom. I. dans la Préf.

oblivione minus nobilem fuisse industriam vincat. Quid enim mirum, si mediis in tenebris lumen illud quasi boreum artem aliquantisper collustrarit, non penitus foverit? Qui novit quantum expedierint inventa doctissimi Bichat [1] (cujus pretiosissima scripta aliquatenus ampliavit celeberrimus medicinæ physiologicæ in Gallia

1 Bichat fixa entièrement l'attention sur les solides, par l'étude approfondie qu'il fit de leur texture et de leurs propriétés. Après avoir classé et analysé tous les tissus, il voulut aussi analyser la vie, et il dota chaque tissu vivant d'une ou de plusieurs propriétés vitales. Il étudia aussi avec soin l'*action sympathique* de ces tissus les uns sur les autres; il fit voir que, dans les maladies, un grand nombre de symptômes dépendent de l'action sympathique de l'organe malade sur les organes sains. Il pensait que les moyens, qui mettent en jeu les sympathies, agissent sur les propriétés vitales des tissus et que, dans ces cas, chacune des propriétés peut entrer isolément en action. Bichat ne vecut pas assez pour faire l'application des ces lois physiologiques à la pathologie et à la thérapeutique ; mais elles eurent bientôt une grande influence sur les théories médicales. Entrainés par l'impulsion qu'avait donnée son génie, les médecins suivirent presque tous la route qu'il avait tracée; on rejeta l'humorisme des anciens et, de toute part, on se livra à l'étude des propriétés vitales des tissus et des sympathies qui unissent les organes dans l'état sain et dans l'état de maladie. Anquetin, Mémoire sur l'influence que les irritans, appliqués à la peau, exercent sur les maladies internes inséré dans le Journal de médecine de Bruxelles, tom. 2. pag. 24. cahier de septembre 1829.

fundator Broussais [1], optime refellens systema ingeniosissimi Brown [2]), quam facilis pateat nobis ex ejusdem operibus, nocturna diurnaque manu versandis, ad ipsa naturæ arcana aditus optime discernit et ipsum Regam, qui tot tantaque persentiscere valuit, cœlo beat.

Ego vero quum vehementer dolerem, librum in exteris terris, inde a paucis annis, præ cæteris laudatum ac commendatum apud nostrates haud satis esse notum, rarissime haberi obvium nimioque venire, quæ supersunt exemplaria (nam anno 1825 Gandavi in auctione exemplar unum 25 florenis Belgicis veniit), pro pietatis officio et humanitatis studio eumdem denuo

1 Mr Broussais a été dans certains points le continuateur de Bichat; il a étudié les changemens pathologiques des tissus que celui-ci avait décrits dans l'état sain; il a surtout continué et perfectionné l'étude de l'action sympathique des tissus et des organes les uns sur les autres. Tout son système pathologique repose sur la connaissance de ces sympathies. Anquetin, ibid.

2 Brown ne cherchait dans les maladies que ce qu'elles offraient de commun; les affections locales étaient toujours pour lui l'effet de l'etat général; Mr Broussais au contraire pense que le mal commence sur un point, d'où il s'étend sur tous les autres au moyen des sympathies; il considère dans une maladie ce qu'elle a de commun avec les autres et ce qui lui est propre, c'est-à-dire sa nature et son siège. Anquetin, ibid.

typis mandandum curavi et, neglecto amicorum nonnullorum consilio, succulentissimam doctrinam, hominibus liberaliter educatis Tulliano sermone eleganter expositam olim, empyricis illiteratis vulgari lingua interpretari abnui, cum medicinæ parente ratus : Sacra sacris hominibus commendanda, profanis vero nefas, priusquam scientiæ mysteriis initiati sint [1]. Quare haud immerito carpas incautos illos viros qui, vanum vulgus sciolosque captitantes, ante hos septuaginta annos Latinas literas, quæ in omnibus fere gentibus leguntur, respuere et, non sine medendi artis hominumque generis permagno damno, plebeia loquela, quæ suis finibus sane exiguis continetur, uti cœperunt. Quorum inconsiderantia sat superque plectimur, ejusdem tamen pœnas multo majores daturi sunt nostri nepotes, ni in Europa passim, et apud Gallos et in hac nostra patria præsertim, succedant optimi sapientissimique Reges, exsurgant candidi, humani, periti rerum ministri, medentium fautores strenui, qui medicas scholas secundarias (sic enim vocant), Æsculapio Minervaque invitis ab osore isto solidorum studiorum Napoleonte rudiori

1 Hippoc. Lex.

juventuti erectas, evertant simulque institutis academicis apte reformatis eorumdemque sectatoribus revera et ex animo faveant, verbo id efficiant, ut cuncti sana unaque informentur disciplina, candidatorum eadem et sufficientia sint examina, in praxi nequaquam coangustetur licentia; qua norma prodeant alteri Sydenham, Ruysch, Sthahl, Hoffman, Baglivi, Boerhaave, Morgagni, Sauvages, Von Haller, Tissot, Von Linné, Stoll, Storck, Quarin, Murray, Blumenbach, Sprengel, Calisen, Franck similesque duces ac præceptores eximii, qui expeditiorem ad scientias naturales in genere, ad rem autem medicam in specie, faciant viam, majores secuti. « Nam sapientiores olim proavi uni sese idio» mati adstringebant, unaque scientiis dicata » lingua (Latina), si quid utile detexissent, com» municabant publico, cunctis nationibus profu» turi. At hodie materno fere quilibet idiomate » scribit, haud aliter quam si suæ tantummodo » patriæ viveret et, quod universo orbi com» mune esse oportuerat bonum, exteris invide» ret. Hinc nescit Italus quid Gallus observa» verit, nec Gallis iterum Anglorum inventa » prosunt nisi, molesto opere, linguas alienas » addiscere ac, utilioribus sæpe studiis relictis,

» ad prima denuo literarum rudimenta regredi
» sicque repuerascere præoptarint. Hoc autem
» quam injucundum sit plurimis vel exinde pa-
» tet, quod vix centesimus quisque tædia hæc
» devorare valeat. Hisce laboribus facile posse-
» mus nos invicem eximere, si ad antiquam
» (quod vix sperare ausim) universalem linguam
» rediremus. Quo facto, longe melius haud du-
» bie humano generi consultum foret. Innumeris
» hominum miseriis medela petitur : sed optimi
» quique medici ingeminant : Quantum est quod
» nescimus! Ulterius igitur perpolienda ars ; id-
» que longe optime exsequeremur, si omni eam
» extraneo liberemus onere, et, quod jam dis-
» cendis linguis nequicquam consumendum est,
» tempus fructuosioribus studiis impendamus.
» Communis omnium miseria est, communem
» itaque contribuamus operam et faciles mutuo
» impertiamur nostra. Sic spes est multo magis
» provehendam scientiam quam si inutili velo plu-
» rimorum aliunde, licet capacissimorum, ocu-
» lis obtegatur. Memorabilis ad rem nostram in
» sacris paginis historia legitur : construebant tur-
» rim Babel; crescebat moles quamdiu una lin-
» gua loquerentur artifices ; hisce vero multipli-
» catis, statim substitit tota : manifesto indicio

» quantum linguarum varietas operis cujuscum-
» que incremento noceat [1]. » Quas veritates alte perpendens præclarus inter Gallos scriptor, suos æquales, ut avorum vestigiis insisterent, monuit hisce verbis : « Quanquam simplicitatem, quæ
» elegantiam sermonis præcipuam constituere
» merito dicitur, certe multo melius et multo
» facilius Gallico quam Latino sermone attigis-
» sem ; quanquam forte opus magis ex re mea
» jucundiusque lectoribus meis fecissem, nihi-
» lominus Latinum anteposui, et nunc causam
» fatebor veram. Nobilis et dilecta lingua nimis
» negligi mihi videtur, eoque modo lingua com-
» munis, qua inventa et observationes sciri et
» propagari possint et qua commodissimum per
» omnes gentes quæ scientias colunt commer-
» cium fiat, genti humanæ deesse minitatur.
» Tanto malo me, opusculum tam parvi momenti
» in lingua Latina scribendo, remedium levius-
» culum attulisse, sperare non audeo, sed his
» exemplum præbeo quibus in animo est opera
» lectu digniora in lucem edere.

1 G. Noortwyk, nobilis in patria nostra ultimo sæculo practicus, in præf. ad Observ. de pulsu, quem librum, a cl. Salano de Luque hispanice conscriptum, Urbis et orbis idiomate donavit.

» Denique non mihi in voto fuit mulierculis et » Medicis circumforaneis qui, nullis principiis » ducti nullaque scientia imbuti, medicinam » Gallicam (Belgicam, proh dolor! et nos adji» ciamus) tam diu et tam indigne fœdaverunt; » sed juventuti ingenuæ, jam literis humaniori» bus probe eruditæ et plurima scientia ornatæ, » artis nostræ quædam principia exponere et stu» dium ineuntibus viam novam difficilemque » minus rugosam reddere volui [1].

Quas autem ob causas sermoni Latino adversentur perplures explorare liceat. Inde, aiunt, a medio sæculo decimo octavo humaniores solertioresque facti sunt homines quod, pro lingua obsoleta nec ad enuntianda cultioris mentis cogitata sat idonea, vulgari idiomate usus sapientissimus quisque ipsi plebi diutius neglectæ congruam doctrinam exponeret ac declararet. In erudiendis igitur discipulis vel in conscribendis de qualibet re dissertationibus lingua Latina plane et omnino respuenda, quum vernacula humaniori vitæ et perficiendæ cuivis disciplinæ magis conducat. Sic sophistæ, ast perperam. Quodsi enim inventa quædam hac ætate cele-

1 G. Tazewell, in præf. lib. cui titulus : Vade-mecum medicum. Lugd. Batav. 1800.

brata fuerint, ea singulari ingenii stimulo potius quam huic vel illi linguæ adscribenda puto : deinde quæ gentes maximos in artibus scientiisque progressus fecerunt, eas literis Latinis præcipue studere, constat; quinimo harum rudiores multi, ne suam quidem linguam penitus perspectam habent vel probe intelligunt; tandem num ipsi ingenio præstantiores doctrinaque præclariores sunt, quam Baconius et Leibnitzius? Hi tamen quidquid mente conceperant Latine conscribebant. Quin addam ipsos neotericos a Romanis et sæpius a Græcis mutuari vocabula, quibus rem rite significare valeant. Utut est, a re medica ignarum vulgus semper arcendum nec insulsos et Romani leporis rudiores literatores Pœoniis artibus umquam initiandos existimo. « Nullo » enim modo fieri potest, ut homo quivis sine » studio, sine literis (imprimis vero Latinis), » quantumcunque is acumine ingenii præcel- » lat, in dignoscendis curandisque affectibus » consummati artificis partes expleat, utut hanc » in populo vel astu, vel imperio, vel felicitate » fidem de se procreet [1]. »

Quantum igitur in errorem trahimur! Quanta

1 Wigan, in vita illustris Freind.

DE VITA ET SCRIPTIS AUCTORIS.

Henricus-Josephus Rega, Lovanii sexto kalendas maias a. r. s. MDCXC honesto loco natus, in sinu indulgentiaque matris educatus et ab ipsis incunabulis ad religionem pietatemque informatus, tum bona integraque natura, tum sublimi erectoque ingenio a teneris annis inclaruit, ac per omnem virtutum scientiarumque cultum vitam transegit.

Parvulus gymnasium SS. Trinitatis, locum præstantissimis viris celeberrimum et optima disciplina florentissimum, humanitatis sedem habuit; permultas ibi palmas adeptus, continuo philosophiæ studium in Porco (quod pædagogii nomen) hausit et, explorata præcipue pro mentis humanæ viribus rerum natura, firma doctrinæ medicæ, quam appetebat, fundamenta jecit.

Decurso deinde medico stadio, septimo idus apriles a. MDCCXII tanta cum laude inter medentes publice adscitus est, ut, ante mensem elapsum, ab urbis magistratibus et maximo qui-

dem magistrorum sodaliumque applausu in Professorum collegium cooptaretur. Qui honor incensum ac flagrantem animum non coercuit, sed ad studia vehementius impulit. Post ferias enim, sesquimensi munere perfunctus, in Gallorum metropolim digressus est, viris celeberrimis in Anatomia, Chirurgia ac Chymia magistris usurus.

Inde in patriam redux, quæ addicerat, retractando sæpius et recogitando, maturabat, usu et experientia sibi adeo dilucidabat, ut, anno MDCCXVI Chymiæ et non longo post tempore Anatomiæ Professor delectus, ex utraque provincia haud exiguas referret laudes ac juvenis admodum, doctorali laurea donatus, ad amplissimos Antecessoris primarii honores proveheretur. Ex quo tempore scientia et doctrina etiam ab extraneis ita celebrari cœpit, ut ad humanissimum, disertissimum artisque peritissimum Doctorem undique concurreret studiosa juventus, eum de graviori quacunque quæstione per literas consulerent viri clarissimi ipsique familiarissima in perpetuum cum iisdem fierent commercia.

Tam raram hanc peritiam multa virtute nobilitatam, et juniores Medicos a Professore, dum vixit, non modo consiliis adjutos, sed et piis exemplis fuisse rectos, jure addidero. Ipse ni-

mirum etiam intempesta nocte ad ægrotantes festinabat opem laturus; a ditioribus nullam mercedem postulare solitus, egenos suo levabat ære; quinimo de fortunis omnibus deturbatas familias identidem opibus renovabat hac una lege, ut acceptum beneficium alto dissimularent silentio.

Quid plura? Tanta erat ejus scientiæ fama, tantum virtutis imperium, ut quando sævi victoris justam molliret iram. Quum enim Gallicorum ordinum Ductores nonnulli, ex abbatia Parcensi Lovanium de deditione missi, ab excubitoribus, patriæ justo studiosioribus, essent occisi eamdemque ob injuriam Saxoniæ Dux urbem diripere et flammis delere constituisset, unus Rega civibus saluti fuit : quandoquidem Dux, qui, patriciorum efflagitationes renuens, matronarum preces fastidiens, puerorum ploratus aspernans, ruinas incendiaque furiosius comparabat, viso adspectoque viro commotus et deprecationes interpretatus, inconsideratæ civitati veniam dedit. Sic quoque Principes fœderati, haud multis ante annis, propter sinceram sapientiam eximiasque virtutes illustrissimi Fenelonii agrum Cameracensem ab hostili exactione omni, tributis, cæterisque adversi Martis cladibus omnino liberum haberi jusserant.

Quantis autem honoribus auctor noster, quem et infensissimi hostes adeo venerabantur, domi decoratus fuerit dicere, fere supervacuum; quippe Principibus nostris antiquitus moris erat ingenio præstanti et eruditione perfecta quemque civem jure et merito ad summas promovere dignitates, neminemque fugit, præclarum hunc Medicum serenissimæ Gubernatrici Mariæ-Elisabethæ Archiatrum et Consiliarium intimum, uti vocant, exstitisse, ab eadem et a Carolo, Lotharingiæ ac Barii Duce optimo, cujus æterno desiderio universi Belgæ tenentur, plurimas et insignes gratias retulisse. His igitur argumentis supersedens, ex aliis viro, quo tam multis justisque de causis gloriamur, novas quæro laudes.

Hippocratem, ab Artaxerxe arcessitum, ut barbaros Græcorum hostes morbis liberaret, Persarum opes et opulentiam suis civibus inimicam sprevisse atque abnuisse, memoratur. Egregium quidem patriæ charitatis exemplum et apprime laudandum, verum hoc abstinentiæ specimen cumprimis demirandum. Quum enim Rega a potentioribus Regnatoribus in aulas acciretur et ad honores quam maxime conspicuos magnopere sollicitaretur, atque ipsi utilia honestis miscere neque nefas neque illicitum esset, forti tamen ac

constanti animo tantis muneribus frui recusavit, et ex cathedra communi hominum saluti consulere, morbo decumbentibus amicis subvenire, imo ipsis egenis opitulari quam Regibus servire satius duxit.

Quod si quis eum penitius noscere velit, nullo vitio inquinatus omnes animo virtutes comprehendit. Nihil arrogantiæ, multum etiam modestiæ in vultu : ipsa oris gratia bonum virum facile crederes, magnum libenter. Studio nihil arduum, ingenio nihil difficile; ipsum otium utili lectione absumptum : nec doctrina in vanitatem abusus, nec gloriæ invidum neminem novit. Suorum peramans et cunctis dilectus, singulari facilitate sibi auditorum animos conciliabat. Bis Rector magnificus, academica jura fortiter est exsecutus; anatomicos theatro, herbarios horto ditavit.

Nimio labore labefactatus et infirmatus, placida morte quievit anno ætatis quinto et sexagesimo; excessit undecimo kalendas sextiles a. MDCCLIV. Nec moriens suorum aut Academiæ immemor fuit; nam binis pauperioribus alumnis decies mille florenos Belgicos in beneficiarium convictum, et bibliothecæ publicæ bis mille in incrementum legavit.

Qua ratione vera bona, quæ cum sapientissimo

quoque in virtutibus sita esse rebatur, adimpleverit ex consiliis breviter, utinam sat eleganter! expositum; quam longum vero et ad suam gloriam et ad hominum incolumitatem peregerit ævum scripta apertius testantur. Ego quidem quanti valeant perpendere non ausus, cum religiosissimo judice me sentire, et ex pereleganti oratione inaugurali, quam de laudibus Regæ habuit vir præclarus atque in hodierna nostra Academia Professor spectatissimus [1], exquisitas adferre rationes, lubens profiteor.

Qui ad communem plebis imperitiam attenderit, is facile intelliget, haud paucos, quamvis sibi conscii sint

> Non artis ulla medicos se prudentia
> Verum stupore vulgi factos nobiles,

verbosis strophis famæ servire et nullo negotio ex aliena stultitia ingentem impudentiæ suæ facere quæstum. Verumtamen inter hos longe improbissimi verberones qui *οὔρου σκοπιὰν* instituunt; quare eosdem inimicissime insectatur Rega in hac quæstione versatus : Num ulla scientiæ investigatione aut etiam experimento quispiam possit ex sola urinarum inspectione morborum naturam ac medelam dignoscere? Quum

1 Baud. *Ann. Acad. L. a. MDCCCXX-MDCCCXXI.*

tamen urinæ signa Medico non sint omnino negligenda, de his ex optimo quoque scriptore excerpta argumenta per aphorismos disposuit; qui liber, etiamsi non ex omni parte sit absolutus, ad semeioticam tamen recta conducit.

Acri judicio virum hypotheses plurimum fuisse aversatum, accuratam ejus Methodum medendi præcipue testificor : et hoc libro, in quo aphorismi inter se apte connexi firmis rationibus multisque auctoritatibus illustrantur et confirmantur, clare demonstrat, morborum in genere febrisque in specie sedem non in humoribus, sed in solidis ac nervosis imprimis membranaceisque partibus collocari.

In medica quadam Dissertatione aquarum mineralium, fontis Marimontensis in Hannonia, quas, jubente Gubernatrice, analysi exploraverat, potestates et vim veram penitus perspiciens, nova Chymiæ elementa cum argumentis jam sentiscere videtur.

Ex chymicis experimentis rei medicæ plus incommodi quam utilitatis evenisse, haud dubium est; præsertim quum plurimi, quæ in vasis observaverant, eadem et in corpore humano obvenire, atque acido et simul viscido quodam sanguinem crassescere, retardari, conglobari opinati hinc-

que morbos fere omnes incessere professi, ad hoc unum attenderent, ut acidum istud cum viscido edomaretur et ejiceretur, ipse sanguis ad legitimum cursum revocaretur. A quibus ut tantum errorem depelleret, alteram Dissertationem medico-chymicam edidit, qua perspicue demonstrat, neque sanguine neque humoribus ab eo profluis istiusmodi acidum umquam vehi, ista proinde ratione valetudinem neutiquam infirmari.

Quæ scripta quanquam perspicacissimam auctoris mentem satis declarent nobilemque doctrinam apprime commendent, attamen præ hocce libro mole, quidem parvo re autem magno, longe minoris sunt æstimanda. Hic enim, fallaci commento omni deleto, salutifera edidit oracula et tutissimam indicavit medendi viam, ut jam, ubi Tractatus de sympathia primum exiit, doctissimi et vix tricenarii juvenis laudes hoc celebris cujusdam Vatis carmine persequi liceret :

Posteritas omnis sic te præsente fruetur
   Auxiliis numquam destituenda tuis.
Mors spolium de te nullum, nisi corpus, habebit,
   Civibus hoc tantum substrahet illa tuis;
Quos meliore tui numquam non parte juvabis :
   Jamque cinis, multis causa salutis eris.
Plus ita quam Pœon, plus quam cum fratre Machaon,
   Quorum nil, præter nomen, habemus, ages.
Laude tua semper famaque superstite vives,
   Nec, velut hi, sterili nomine clarus eris.

Proderis infirmis ægrisque medebere, donec
Humanum medica corpus egebit ope.
Nec sinet, immensum quam nunc transmittis in ævum
Victricem lethi, te Medicina mori.

Peræquum sane præconium, quum ad justas artis præscriptiones certamque praxeos normam spectet peritissima manu conscriptus libellus, nostroque Professori contigerit, ut doctrinæ, quæ hac ætate *physiologica* dicitur atque ex proba mente intelligentis intaminata fulget, suum jam tum splendorem omnem arcesseret. Illud quivis e Medicis facile confitetur; hoc, ne fucum facere videar, paucis sum confirmaturus. Etenim si, quod nemo neget, laudata doctrina in ea resolvatur elementa quæ videas in his voluminibus : *Examen des doctrines médicales, prop.* 84 *cum seq. et prop.* 139, ac *Principes de Physiologie pathologique, pag.* 129 *et* 208 *cum seq.* ab iisdemque incrementum præcipue sumpserit, universam et in hoc tractatu sparsim obviam ac nitide expositam explorare datur. Nec scriptoris scientiam fallit principium vitale, corporale scilicet et cum anima minime confundendum [1], cui *sensibilitas contractilitas-*

1 Metaphysicis est sui generis elementum, stante vita, partibus solidis ac fluidis inhærens, vi cujus Chymia animata

que pro modis existunt; congestiones activas et passivas optime discernit; febres, et illas quas essentiales habuere nonnulli, ad affectiones topicas refert; auditorum, quibus scribit, animos ad observandam irritationem gastro-intestinalem indeque obortam inflammationem sæpius revocat; tandem, ut uno verbo laudem ejus medicam omnem comprehendam, in doctrina sympathica ipsi parem frustra quæsieris. Quæ cuncta quo majori cum delectatione et voluptate detegat ipse lector, sexcentis testimoniis hic comprobare nolo. Itaque, ut arti accommodatum et Belgio nostro honorificentissimum opus prodire queat, a medicis nostris societatibus hanc similemve questionem instituendam puto : Ex Tractatu de sympathia ingeniosa Regæ de morbis doctrina accurate colligatur, ratione et ordine exponatur, diligenterque comparetur cum opinionibus virorum jure et merito celebratissimorum, Thomassini et Broussais.

Jam, narrato traditoque, quoad valui, insigni

existit. Huic a morte vulgaris succedit, quæ putredinem continuo provocat totumque cadaver sensim dissolvit, ita tamen, ut hoc nonnumquam per plurima sæcula sui umbram servet, tandem vero ad tactum in pulverem corruat. Sic invicti Macedonis corpus, e penetrali prolatum, venerante Augusto illico collapsum fuisse, legimus.

Doctore, quod susceperam absolvisse mihi videor; ante tamen quam finem faciam hæc pauca municipibus meis adjicere liceat. Qui arte clarissimus, humanitate optimus, patriæ amicissimus exstitit; cui beneficiorum vinculis cuncti sumus obstricti; imo quem universa nostra civitas servatorem salutavit et ad cœlum hodieque laudibus extollit, hunc monumento publico nondum decoravimus! Num ullo nomine nostris Boerhave et Calpyn cæteroquin celeberrimis viris posthabendus? Num gloria doctissimo Bichat inferior judicandus? Et, quum illis civitas Leidensis et Medici Gandavenses, huic vero et ipse artis osor Princeps monumentum erexerit, nos quoque gloriosa in basi grati collocemus quem nimium superbientibus civitatibus Grudii perpetuo opponant.

M. P.

AUCTORIS PRÆFATIO.

Scriptores medici florentissimi iidemque cordatissimi Viri hanc uno omnes ore de sæculo nostro edunt querelam : Theoreticum medicinæ studium satis quidem feliciter excultum esse, sed quod ad practicum attinet, misere illud concidisse indiesque deficere. Nempe, post tot præclara in anatomicis et physicis rebus inventa, tantum abest, ut in praxi et curatione morborum proficiatur, ut a felicitate ævi Hippocratici magis indies medendi ars degenerare videatur, multumque ab illo tempore in deterius sit prolapsa.

Quam ob causam laudari satis non possunt qui, de modis restituendæ praxeos vehementer solliciti, notarunt diligenter ea quæ in hac arte potissimum desiderari videantur; eadem et sibi et aliis, quibus præstantissima ars cordi sit, in meditationibus suis et conatibus singularibus proposita esse voluerunt. Elenchus horum desideratorum videri potest apud Baglivum, Furstenau, uti in dissertationibus Sthahl

et Hofmanni, Academiæ Fridericianæ duorum luminum, ac in plerisque modernis scriptoribus.

Hujusmodi celeberrimorum virorum auctoritate et monitis excitatus equidem fui, ut pro modulo aliquid auderem, quo querelarum ansa et occasio tolli posset, aut aliis certe ad eam tollendam præberi occasio.

Stimulum addidit novum, quod in Academia susceperam munus docendi Medicinam per tempus feriarum, quod ad sex hebdomadas excurrit, voluique in commune et publicum proferre, quæ ad juvandam praxim medicam privatis elucubrationibus videbar mihi reperisse. Ex mediis autem, quæ ex Baglivo aliisque assignantur plurima, neglectis iis, quæ vel nimis adhuc ardua vel impossibilia existimabam, intendi in ea, quæ videbantur magis parabilia, ut; describere accuratius historiam morborum; resumere studium Hippocratis pridem neglecti; operam ponere in excolenda semeiotica; ætiologiam morborum emendare; certiora fundamenta quærere, quibus medendi methodus innitatur; atque ad hoc genus pertinere arbitrabar, diligentius observare occultas morborum permutationes et successiones, diversarum partium metastases, secretiones et consensus.

Visum autem fuit hujus ultimi desiderati materiam ac argumentum facere mearum prælectionum, sive dissertationum publicarum, quibus notitiam sympathiæ partium nimis obscuram conarer aliquo usque elucidare et vehementius commendare, quod scirem non posse feliciter curare eum cui primaria morbi causa latuerit.

Nolui autem hic committere, in quo alios sæpe redarguo, quodque optato praxeos progressui imprimis obstare videtur, id est, studio et opera abuti in obscuris morborum causis detegendis, hypothesibus exornandis aut novis fabricandis. Ab illo enim in speculationes et nova commenta amore et pruritu primam mali causam existere reor : hinc logomachiæ istæ et umbratiles de rebus novis et superfluis disceptationes ; hinc practicarum præceptionum contemptus; hinc inanium et sæpius periculosorum principiorum pseudofundamentum.

Placuit ergo nulla adhibere principia quæ sensibus non essent obvia, aut ex iis non facile sequerentur : porro in allegandis, ubi opus videbatur, experientiarum aut observationum rationibus servandam duxi, quoad licet, methodum geometricam, ut nullas proferrem, nisi quæ ex data corporis fabrica, ut principio evi-

dente, elici possent. Sic enim existimavi structuram illam corporis, quam recentiorum nonnulli *mechanismum* vocant, esse causarum omnium et effectuum secundariorum causam capitalem. Hac ratione ad elucidandam partium sympathiam eamque probandam non putavi esse adhibendas nisi observationes fideles et practicas, cum ratiociniis inde deductis. Duo enim habeo medicinæ fulcra, experientiam et rationem, sic tamen, ut hæc illi famuletur, prædominetur autem numquam.

Hæc sufficiant de consilio, occasione, et methodo susceptæ dissertationis. Cur autem permiserim, ut rude hoc specimen typis ederetur, non magni refert hoc sciri : illud tantum affirmabo, me ex animo optare, ut inde fructus aliquis Medicinæ et publico proveniat. Vale, Lector, et fave.

TRACTATUS MEDICUS

DE

SYMPATHIA,

SEU CONSENSU PARTIUM CORPORIS HUMANI IN STATU EJUS MORBOSO.

CAPUT PRIMUM,

IN QUO PROPONITUR MATERIA HUJUS DISSERTATIONIS VICE PROOEMII.

CONSENSUS EST DUPLEX.

Ut ex Galeni [1] præcepto ipsum primo nomen in disputationem assumatur, observare juvat *Sympathiam* seu *consensum partium* ab auctoribus medicis fere accipi bifariam : nempe ut concursum aliquem plurimarum partium ad hanc

1 Lib. 1. method. medend. cap. 5.

illamve actionem perficiendam conspirantium, vel ut quamdam compassionem aut condolentiam partium, qua fiat ut, una male affecta, alia pars diversa simili vel diverso, tristi tamen, sensu condoleat. Prior vocari posset consensus actionum, posterior consensus passionum. Sic Bausner, in Tractatulo de consensu partium, definit : « consensum esse partium humani cor-
» poris earumque actionum et passionum con-
» venientiam seu harmoniam, quæ sit vel na-
» turalis vel præternaturalis : illa spectatur in
» partium actione et usu, hæc vero in morbis
» seu constitutione quæ est præter naturam. »

CONSENSUS ACTIONUM.

Uterlibet consensus in machina humani corporis occurrit frequentissime. Et admirandus imprimis est consensus ille actionum, quum videas ubique partes quasi ex condicto ad hanc illamve functionem concordissimo nisu concurrere et quasi pacto fœdere socias operas invicem commodare. Nimirum ea est ex institutione sapientissimi Artificis œconomia animalis, ut partes omnes incredibili quadam harmonia ac consensione ad conservationem totius corporis certatim conspirent [1]. Hujus consensus exemplum suffecerit considerasse duplex : alterum in organis respirationi inservientibus, quæ licet

1 Conf. Cl. Broussais, prop. 8-13.

multum inter se distincta sint, ita tamen ad conservandum æquabilem et constantem respirationis actum conspirant et consonant, ut alterum sine altero nullam motus mutationem subeat; alterum in cordis vasorumque sanguiferorum mira harmonia, qua sic sequuntur eumdem rythmum, ut motus intensus vel remissus unius intendat vel diminuat motum alterius. Ad hunc forte reflectens consensum magnus ille naturæ indagator Hippocrates scripsisse videtur [1]: « consensus unus, conspiratio » una, consentientia omnia. » Ac alio loco, dum totum corpus exspirabile ac conspirabile dicit.

CONSENSUS PASSIONUM.

Non minus observabilis est consensus passionum, qui in morbis equidem obvius est : in his enim videre est quam arcto vinculo partes omnes sibi connexæ sint, qua compassione sibi condoleant, et qua efficacia mala, quibus vexantur, sibi mutuo communicare soleant. Sed quoniam de hac specie consensus hic præcipue disserere propositum est, postulare videtur instituti ratio ut, quid per eum intelligamus, paulo uberius explicetur.

DE HOC POTISSIMUM HIC AGITUR.

Hujus igitur consensus sive sympathiæ si latiorem significationem spectes, nihil est aliud,

1 De aliment. § 4.

quam ut duæ vel plures partes simul afficiantur: usu tamen apud medicos recepto sympathiæ nomen paulo strictius accipiendum est; ut per illud non solum intelligatur plurium partium simultanea ista affectio, verum potius connexio aliqua aut subjectio, qua unius partis affectio ab alterius affectione dependeat, undecumque hoc proveniat, sive ex eo quod pars agat in partem, sive quod altera alterius vitio quoquo modo patiatur aut laboret. Hoc sensu celeberrimus Bayle [1] sympathiam definit esse « com-» passionem partium corporis inter se, affectu » simili vel diverso, a parte primaria affecta parti » compatienti communicato quavis ratione. » Huic aptari potest definitio morbi per consensum, quam adfert doctissimus noster Zypæus in suis Institutionibus : « morbus, inquit, per » consensum seu sympathiam, est morbus qui » dependet ab altero ejusdem corporis morbo » in conservari, ideoque non desiderat propriam » curationem. »

Hæc est illa sympathia, de qua in hac dissertatione tractare statuimus. Quod si de priori consensu et harmonia partium in statu sano subinde commemorabimus, fiet hoc tantum obiter et quatenus opus videbitur, ut consensus in statu morboso magis exponatur ejusque doctrina, nimis hactenus inculta, felicius illustretur.

1 In Dissertat. de consensu uteri.

HUJUS DISSERTATIONIS SUMMARIUM.

Summa igitur nostri conatus hæc erit : ostendemus, quam frequenter in morbis partes sibi condoleant et compatiantur; quomodo partes male affectæ soleant secum in afflictionem trahere alias sanas; unaque evincemus actionem læsam non semper incipere aut primo sentiri in regione et loco, ubi noxa inflicta est, verum causam mali latere posse alibi, quam ubi se exerit et sentitur; adeoque nec mali originem et fontem quærendum semper esse in parte affecta, sed sæpius in alia, etiam satis remota. Nimirum, « alio interdum in loco, ut verbis » utar non ignobilis medici [1], causa morbifica » generatur ubi alibi symptomata magis eviden- » tia se produnt, ut sic partes tabis omnis » immunes vitio aliarum male plecti deprehen- » dantur [2]. »

PRÆCIPUUM FUNDAMENTUM EXPERIENTIA PRACTICA.

Hujus autem materiæ discussio in hoc suscepta est, non ut hic theoria medica, sed ut ejus potius praxis excolatur perficiaturque. Nec enim juvat imitari eos, qui speculationibus de-

1 Hobii Van der Worm, in epist. ad Gruwardum.

2 Ex his verbis patet, auctorem nostrum morborum sedem in humoribus minime collocare eumdemque non esse adnumerandum ontologistis, quorum fragile systema convellit Broussais, prop. 460, 461, 463-466.

diti, hypothesibus immodice indulgent, quum his utendum non videatur, nisi ubi plane carere non possumus; animi enim causa in illis velle ludere, aut plus æquo in iis confidere, non est cordati medici corporum saluti et communi bono, ut decet, incumbentis. Ut ut est, hæc sane materia, si quæ alia, sedulum desiderat practicum et sterilem theoreticum non recusat; quum constet rationem consensus et sympathiæ partium esse valde occultam et ita jacere obrutam, ut non affulgeat ulla spes fore ut umquam in apertam lucem producatur. At numquid constat dependentias partium mutatas esse? imo vero, sed tamen cæcas. Testis est clarissimus Furstenau, in Dissertatione epistolari, qua desiderata circa morbos eorumque signa exponit: « quibus, inquit, si conspirationem illam, quæ » caput inter et pedum plantas in pediluvio- » rum usu cernitur, quæque abdomen et pe- » ripheriam corporis, imprimis quoque pedum » extrema, in colicis aliisque abdominis affectibus » pro varia transpirationis habitudine diversi- » mode affligentibus intercedit, addas; illa qui- » dem omnia in ipsa fundata esse experientia, » sed rationem eorum dubio omni carentem vix » posse allegari, deprehendes. » Idem sentit Rosinus Lentilius amicus noster plurimum honorandus [1]: « mira res! ait, quale labiis cum

1 In Eteodromo med. practico.

» indice manus dextræ commercium. Si nervos » dicas, eorum nullas propagines ultro citroque » derivari comperio. Sin vasa sanguifera, ma- » nent eædem difficultates : præstat ἐπέχειν [1]. » Quid igitur? sequendum est in hac parte consilium prudentissimi viri : non tam curabimus de ratione et modo consensus, quam de ejus veritate ; nec propterea minus illustrabitur aut promovebitur praxis medica, quæ totius artis apex est et omnium studiorum nostrorum debet esse scopus.

SCOPUS EST MORBI CAUSAM DETEGERE.

Enimvero sufficit sympathiam partium cognoscere, ut aiunt, a posteriori, ut queas felicius morborum origines detegere, atque adeo certius ac tutius eorum suscipere curam. Neque enim aliud in hac dissertatione agimus, quam ut natura morborum fiat manifestior, et eorum curationibus quasi quædam fax præferatur. Hunc in finem ostendere conabimur non adhibenda semper esse remedia, ut vulgus medicorum facit, ubi dolor vel symptomata sese manifestant, sed diligenter inquirendum esse in morborum causas et mali sedem ante omnia oppugnandam esse. « Ad primam mali causam, in- » quit Hippocrates, ad causæ occasionem et pri- » mordia deveniendum est. » Tenendum enim,

1 Tuum servare judicium.

quod negari non potest, nisi qui morbi originem notam habeat, recte mederi neminem. Porro ad cognoscendam viam seu methodum, qua morbus quivis curandus sit, plurimum refert, ut ait auctor Nuclei Hippocratis [1], a causæ inventione incipere.

QUIA CAUSA REMEDIIS OPPUGNANDA EST.

Sciendum igitur remedia non semper dirigenda esse ad partem, in qua symptomata vigere videntur. Experimentis enim innumeris evictum dabimus frequentissime accidere, ut aliis in partibus lædantur actiones, dum aliis in locis causa latet: quibus non satis perspectis, a legitimo curationis scopo continuo in praxi quivis aberret necesse est, dum morbi causam, ubi non est, nitetur profligare, aut per vias minus conducentes expellere. Quo fit, ut non modo illa non eliminetur, ac intacta relinquatur, sed etiam novus morbus accersatur. Notemus igitur diligenter, unum ex præcipuis impedimentis felicis morborum curationis defectum esse cognitionis fomitis ac originis morborum, quæ aliquando prorsus est obscura. Et quidni esset? dum frequenter in centro mali, unde ad alias propagatur partes, nulla omnino læsionis seu noxæ perceptio sit.

Experimentis posset hæc statim res stabiliri

1 Ex lib. 6. aph. 519.

infinitis; sed quum sint destinata suis locis, iis recensendis hic placet supersedere. Adferre tamen cogor illud Lancisii, medici cubicularii Clementis X, pontificis, qui in libro suo de mortibus subitaneis, ex sectione cadaveris sententiam nostram evidentissime confirmat [1]. « In hoc ca-
» davere sub dextra parte ossis frontis dura et
» pia meninges in multam crassitiem evaserant,
» et finitimus cerebri cortex concreverat in cru-
» dum adscessum substantiæ fere polyposæ et
» magnitudinis æqualis illi pomo, quod *apium re-*
» *dolens* appellatur. Hoc sane extispicium, inquit,
» non tantum admirationem excitat propter ip-
» sam tumoris in cerebro collecti conditionem,
» quantum propter situm; ut, quum æger de
» gravativo sincipitis et oculi sinistri dolore per-
» petuo quereretur, morbi causa in dextro me-
» ningum cerebrique latere inventa fuerit. » An idem non probat historia calculosi a Baglivo relata? qui, dum viveret, semper conquestus est tantum de dolore lateris dextri, quum tamen in cadaveris sectione calculus repertus fuerit in rene sinistro. Testatur idem summus vir se vidisse calculum magnum in renibus; « et, quod
» sane mirum, inquit, de nullo renum dolore
» conquestus est patiens, sed tantummodo de
» gravi ac vehementissimo genuum. » Sed quid tam longe petita adfero exempla? An indies non

1 Lib. 1. cap. 11.

experimur plures dolores capitis, vertigines, respirationes difficiles, asthmata, tusses, uno suboriri vitio partium in abdomine sitarum, licet ne vel minima quidem noxa in partibus his infimis percipiatur.

QUIA IGNORATIO CAUSÆ OCCASIO EST PERVERSÆ PRAXEOS.

Quorum quum sint ignari plures medici, vel ad quæ quum non advertant, mirum non est, si tam infelici successu mederi soleant. Vel putabit quis se satisfecisse indicationibus medicis, si, in dolore capitis, præscripserit cephalica; in uteri affectibus, uterina; in cordis anxietatibus, cordialia? creditne cephalicis istis semper cessurum dolorem capitis? Stolidum practicum! Profecto nisi qui consensus partium omnino ignarus temere mentem præcipitare velit, id vel audeat quidem cogitare. Aliud docebit doctrina sympathiæ; qua evidenter constabit, non semper ad partem affectam remedia esse dirigenda.

Dolendum profecto est tot medicos ex hujus sympathiæ ignoratione tam frequenter dubios et anxios hærere, dum unde incipere dubitant ad ægros plurimis symptomatibus ac malis afflictos vocati. Hic enim quid agunt? morbum mox dicunt complicatum; nesciunt enim unde tanta malorum series possit derivari : ergo nulla invenientes commoda remedia, quibus morbum complicatum, ut dicunt, oppugnent (quis enim inveniat, quæ tot repugnantibus satisfaciat in-

dicationibus?) vel ut incurabilem deserunt miserum; vel, ut saltem aliquid fecisse videantur, dirigentes sua remedia ad symptoma præcipuum v. g. dolori capitis cephalicum, calori intento refrigerans opponunt; vel, quod etiam magis ridiculum est, sperantes una fidelia duos dealbare parietes, medicamentum conflant ex quibusvis distinctis, singulis partibus affectis appropriatis, ex cephalicis, pectoralibus, stomachicis, carminativis, anthelminticis, cordialibus, refrigerantibus, et nescio quibus aliis. Atque hinc illa origo formularum ex tot repugnantibus concinnatarum; hinc illa farrago medicamentorum videtur irrepsisse in artem medendi tanto cum artis nostræ dedecore, quum sæpius unico et simplici remedio, ad partem primitus affectam directo, omnia funditus curari possint symptomata; dum scilicet ab una eademque causa dependent. Sed quid dicemus? solemne est hodie cum pluribus in ipso consistere limine, pulteque intacta vitrum lambere. Profecto quid tristius quam medicos ordinarie defectu cognitionis causarum efficientium circa producta vagari? Etenim minime solliciti sunt, si cum Helmontio loqui liceat, *de fabricatore radicali ac priore;* ad submovendum effectum tantum sunt intenti, quum tamen eo, unde malum venit ac pullulat, curationis tela forent convertenda, eæque partes medicamentis petendæ ac oppugnandæ.

QUIA PARS AFFECTA PRIMARIO CURANDA EST.

Frustra enim circa partem per sympathiam laborantem occupamur, teste Bausnero, « dum a » mali fomite semper tantum mali, vel etiam » plus a parte per idiopathiam affecta commu- » nicari novimus, quantum nos per medica- » menta auferre valemus. » Stolidus certe sit qui conaretur exhaurire rivum, qua prope littus in mare festinat, non autem fontem obturare. Quemadmodum est securis ad arboris radicem admovenda, si velimus totam eradicare arborem, medicamentorum securis ad radicem mali applicanda est, si mala omnia funditus eradicare cupis ut, causa ablata, seu radice præcisa, fructus omnes emarcescant. Morbi igitur fomitem semper aggredi oportet; « nulla enim, ut optime Duretus, quæ per sym- » pathiam accidunt, symptomata levationem ad- » ferunt primigeniorum morborum. »

Omne igitur studium, opera omnis et industria in eo locetur, ut sub curatione morborum partem primario affectam detegere possimus, quum, ea pristino vigori restituta, reliqua sponte curentur. Quapropter interest medici specialem morbi originem sibi perspectam cognitamque habere, ut inde specialem quoque indicationem elicere queat. Nec putemus sufficere, si sciamus partem aliquam affectam; requiritur præterea, ut noscamus an primo

per se, an vero per sympathiam illa afficiatur, actionumque læsarum existat causa.

Ad quam notitiam manuducit doctrina hæc de consensu partium, in qua discere licet, quæ partes potissimum aliquo doloris sensu ac compassionis tangi et angi soleant. Hoc qui semel consequitur, sperare poterit fore ut evadat in medicum non infelicem, quem raro fallet cura ex arte instituta : « qui enim suffecerit medicus » ad cognoscendum, sufficiet quoque ad sanan- » dum, teste magno Coo, *de arte;* » et « eum recte » curaturum asserit Celsus, quem prima origo » causæ non fefellerit. » Verum quam sæpe illa fallit ? De ea sententiam suam ferre ut difficile est et arduum et mille subjectum fallaciis, ita præcipue desideratur prudentis medici acerrimum judicium, quod Baglivus vocat « fontem » et originem bene medendi : » eo quippe quis in medendo felicior est, quo in causarum discretione callidior et mentis est sagacioris.

AN, NEGLECTA CAUSA PRIMARIA, NONNUMQUAM SYMPTOMATA PRIMO CURANDA SINT.

At sunt qui objiciant : nonnumquam in praxi negligendam esse causam continentem ac ad symptomata curam præcipue vertendam ; in curatione morborum non semper primam mali causam esse aggrediendam ; symptomata quandoque inde producta primo sui postulare curam, deinde ad mali fomitem procedendum.

Sic, inquiunt, dolor immanis sæpe ferocit, ut causæ, a qua dependeat, ablatio exspectari non possit, sed ex eo vires magis magisque debilitentur, quibus amissis, medicus sane frustra laboret, quum vitæ discrimen impendeat. Erat hæc mens Fernelii dum ait [1] : « severiori quo» que symptomati, quod vires nimiopere con» vellit aut etiam prosternit, imprimis diligen» terque succurrendum, morbo etiam interdum » prætermisso. » Adeoque non semper medico mali origo investiganda; non tanta est, ut hic prædicas, doctrinæ sympathiæ partium utilitas; potest salvari æger, licet non advertatur ad partem primario affectam, ubi ad plures demigrabit, si omnino velimus originem morbi debellare.

Verum est, symptomata specialem quandoque indicant sui curationem; cura palliativa nonnumquam est necessaria. Imo fatendum etiam est non semper, parte primo seu idiopathice laborante restituta, restitui simul et semel producta symptomata, quæ sæpe etiam per se postmodum subsistant. Non tamen id ullatenus derogat necessitati et utilitati cognitionis partis primario affectæ : nam semper est manebitque verum, morbos non posse funditus tolli ac proinde nec hominem sanitati pristinæ restitui, licet alleviari nonnihil possit, nisi sublata

1 Method. medend. lib. 1. cap. 6.

causa et origine mali. Nam, ut Baglivus et veteres omnes constanter testantur, « nulla sympathia nec propagatio levationem adfert primigenii morbi.

De his equidem sympathiis adnotare juvat, quod ex libro sexto Epidemiorum Hippocratis collegit auctor Nuclei Hippocratis per aphorismos digesti, ubi sic ait [1] : « quædam sympathiæ » sunt, per quas omnino nihil passionis pro- » priæ est in parte; aliæ quæ habent aliquid, » sed exiguum et sine primaria passione non » valent subsistere; aliæ, etsi secundariæ sint » passiones et ab aliis fluxerint, abierunt tamen » jam in passiones proprias. » Quod etiam animadversum reperio a Boneto, in Sepulchreto anatomico [2], ubi de dolore capitis ita loquitur : « etsi vero primordia ab inferioribus duxisse » suspicari licuerit, id tamen perpendendum est, » quod monet Rondeletius Galenum secutus ; » non raro scilicet accidere, ut dolor, qui a » consensu partium initium accepit, in affectum » proprium desinat; adeo ut partis primario la- » borantis affectu sublato, posterior per se sub- » sistat, quod in cephalalgiis frequentissimum » ait : imbecillitas enim tandem et non delebilis » Διάθεσις [3] parti inducitur. » Quæ omnia fu-

1 Aphoris. Hipp. ex lib. 6. 491.
2 Scholio in prim. observ.
3 Habitudo.

sius a nobis deducentur iis in locis, ubi demonstrabitur, qua via et ratione indicationes curativæ sint hauriendæ.

Indubitatum itaque maneat medico, ut bene mederi possit, investigandam esse partem primario affectam; originem morborum indagandam; focum ac fomitem mali esse detegendum, hac tamen lege, ut alterum oculum ad symptomata per consensum introducta advertat, quandoquidem hæc curam ad se dirigi nonnumquam postulent. Sed quis promptior esse possit aut isti rei aptior, quam ille, cui non modo perspectum et notum est quam mire partes sibi compatiantur ac condoleant, sed qui intime præterea novit, quæ partes soleant præcipue affici ac in afflictionem trahi, dum hæc vel illa afficitur pars? Et sic, hac doctrina instructus, non mirabitur tempore morborum tot simul affici partes et potius has quam illas, nempe sciens, partibus hisce affectis, quarum partium periclitetur incolumitas; nec debebit recurrere ad complicatum morbum. Ne tamen quis putet me morborum complicationem negare; sed hoc unice volo, complicationem eam non tam frequentem esse, quam aliqui velint. Quis igitur illa se non tenetur imbuere doctrina, qua noverit non tantum morbos cognoscere atque curare, sed et insuper eos prævidere atque eorum periculum arcere.

Sed, ne longius abripiar, præstat finem faciam; necessitas ususque doctrinæ sympathiæ partium ex sequentibus satis patebit. Hanc maxime ob rem ausus fui hunc meum de hac materia conatum edere, si, declarando methodum et praxim quam in hac parte secutus sum, possem forte lucis aliquid tyronibus conferre. Accessit etiam hæc ratio ob quam hoc tentaverim, scilicet, quod viderem a nullo auctorum materiam hanc ex professo ventilatam. Baglivus quidem, in aureo suo de *fibra motrice* Specimine, specimen hujus doctrinæ tradit, capite nono ac decimo inscripto *de consensu solidorum, jure originis, vicinitatis, etc.*, et sparsim per totum suum opus sedulus illæ naturæ observator mentionem facit partium consensus; verum quum immatura morte sibi ereptum medicinæ restauratorem non modo medicinæ alumni, sed et proceres lugeant, ab eo nihil amplius circa hanc materiam exspectandum est. Inscripsit etiam librum *de consensu partium* ab annis, aut quod excurrit plus, quinquaginta Bausner, verum consensum alio potissimum sensu accepit; quomodo videlicet partes singulæ conspirent, ut actiones omnes, quibus œconomia animalis conservatur, rite absolvantur, et consequenter necessario sequatur, si pars una male afficiatur, actionem ad quam concurrit necessario lædi debere. Vidit tamen et ille ac ad-

notavit quantum partes soleant mala sua invicem communicare ; nam capite primo ita loquitur : « neque tantum dum bene partibus est, sibi mu- » tuo auxiliantur; verum etiam in constitutione » earum præternaturali stabili junguntur con- » nubio, malique pariter ac boni manent sociæ.» Sic quidem Bausner; ad consensum tamen morbosum primario non attendebat, licet, ubi instituto ejus conveniebat, illum non negligeret, ut ex testimoniis ex opere ipsius adducendis palam fiet. Willisius ejusque insistens vestigiis Vieussens, nervorum prosequentes propagationes ac miras distributiones ramificationesque, hinc inde obiter ostenderunt, consensum partium ab illis dependere. Quum igitur hæc doctrina hactenus, quod ego quidem sciam, ab auctoribus vix umquam, nisi sparsim et obiter solum, fuerit examinata, secus ac aliæ materiæ medicæ, quæ millies ab illis agitatæ sunt, constitui periculum facere et experiri quid forte valeam. Quod si hoc argumentum non funditus tenebris eruere ac caligine, qua obductum est, liberare possim, doctioribus saltem materiam hanc magis excolendi et tyronibus diligentius examinandi occasionem subministrabo.

HUJUS DISSERTATIONIS METHODUS.

Ut autem scopus propositus facilius attingatur, sympathiam hanc stabilire statui non ratiociniis et in cerebro auctoris sæpe tantum fundatis hy-

pothesibus, sed unice experimentis, quibus naturæ motum simpliciter ante oculos ponam. Quum autem vix fieri possit, ut medicus, quantumvis etiam veteranus practicus, instructus sit sufficienti experimentorum a lecto patientum a se desumptorum copia, qua possit clare demonstrare, quænam partes soleant mutuarum passionum fieri consortes; ab aliis illa mutuanda esse duxi, qui constanti observatione ac fideli relatione posteris illa tradiderunt : quæ eo minus suspecta sunt, quod non sint ab illis allata, ut hypothesim aliquam stabilirent (quod proh dolor! in physicis nimis frequens), sed ut nude morborum historiam depingerent. Stabunt igitur pro sympathiæ confirmatione testimonia a magistris artis nostræ petita, ostendeturque hanc non esse opinionem recenter natam aut excogitatam, sed antiquissimos ac sapientissimos pariter ac recentiores medicos easdem circa hoc negotium versasse et fovisse cogitationes. Unde, quæ dispersa per libros eorum inveniuntur, huc adferre juvabit ac quæque suo loco accommodare, prout instituti nostri ratio postulaverit. Atque ita experientiis et auctoritatibus celeberrimorum in arte medica virorum in medium adductis, apparebit omni tempore, ævo, ac ab omnibus, qui paulo exactius ad singula naturæ phænomena attenderint, consensum illum, si non clare perceptum, saltem e longinquo et quasi sub maligna luce fuisse visum.

Accipite igitur experimenta ex celebratissimorum auctorum penario fideliter collecta, ex quibus observare possimus, quam arcta et mirabilis sit partium sympathia : iis si adjuncta sint nonnumquam ratiocinia, unice ea erunt innixa experientiæ, neque dominium in hanc exercebunt, sed perpetuo fabulabuntur.

Unum etiam superest quod moneam; ne exspectentur omnia, quæ de singulorum partium consensu dici possint. Omnes quidem et singulas notabiliores corporis partes ad examen revocabo; verum, quum quælibet fere singularem libellum exposcat, ex maxima exemplorum copia non potui nisi quædam specimina adferre, quibus condolentiam partium humani corporis probarem.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSENSU PARTIUM GENERATIM.

Antequam causam rationemque sympathiæ partium singillatim inquiramus, non modo congruum sed et omnino necessarium videtur, observationes aliquas de generali partium consensu præmittere ut, eo cognito ac perspecto, alacrius ac felicius specialis, hujusque causa ac fiendi modus indagetur. Probationes graviores, quibus consensus stabilitur, exhibebimus suis locis, ubi singularum partium sympathia examinabitur; ut hic opus non sit nisi pauca quædam specimina delibare.

SYMPATHIA GENERALIS PROBATUR AUCTORITATE HIPPOCRATIS.

Sympathiam partium generalem, de qua hic agitur, plurimis celeberrimis medicis probari videtur auctoritate Hipprocratis, atque imprimis hac ejus decantatissima sententia [1]: « con- » fluxio una, conspiratio una, consentientia om- » nia. » Nam secundum Hecquetum, illustrem illum Parisiensium medicum [2], « insinuat illis

1 Lib. de aliment. § 4.
2 De la digestion.

» verbis Hippocrates, partem ægram mala sua » communicare cum partibus sanis.» Eadem est prope Lancisii de hoc loco opinio. «Non modo, » inquit, hoc dictum ab Hippocrate pro servanda » solum, sed etiam pro destruenda œconomia » animali intelligendum esse puto.» Idem censisse videtur Baglivus, dum hinc deducit, «inter » membranas omnes et ex membranis composita » viscera, consensum unum, conspirationem » unam et omnia consentientia.» Helmontius juxta hanc Hippocratis sententiam statuit, «corpus nostrum esse ut unicum in consensu omnium, tam intus quam foris conspirabile et » exspirabile totum.» Ut ut est de hac interpretatione verborum Hippocratis, constat etiam eumdem Hippocratem variis in locis satis manifeste declarasse, sympathiam partium minime sibi ignotam fuisse; et imprimis dum ait [1]: « unaquæque corporis pars, altera alteri, quum hinc » aut illinc perruperit, statim morbum facit; venter capiti, caput carnibus ac ventri, et reliquæ » omnes juxta eamdem rationem, quemadmodum venter capiti et caput carnibus ac ventri.» Et paulo post: « et optimum fuerit sic » curare partes ægrotas per has, quæ morbos » faciunt. Sic enim quam optime principium » ægrotantis quis sanaverit. Corpus porro ipsum » sibi ipsi idem ac simile est, et ex iisdem constat.

1 De locis in homine § 2.

» Similiter autem habet et parvas et magnas » partes, itemque infernas ac supernas. Et si » quis minimam corporis partem acceptam male » afficere velit, totum corpus affectionem sentiet, » qualiscumque tandem ea fuerit : propterea » quod minima corporis pars eadem omnia habet » quæ et maxima. » Clarius profecto generalis partium inter se consensus exprimi non potest, prout etiam testatur Martianus, in accuratis suis super hunc locum Commentationibus : «nullum, » inquit, corporis principium esse intelligit Hip- » pocrates, nullam esse in corpore particulam, » quæ ita sit aliarum principium, ut hæc cæteris » tum sanitatem, tum ægritudinem faciat, cæ- » teræ autem illi suas affectiones nequaquam » transmittant. Nulla est enim pars in corpore » adeo princeps, quæ etiam infimæ non consen- » tiat; unde vulgatum illud : consensus unus, » et conspiratio una, et consentientia omnia. » Hancque opinionem confirmat exemplo; nam » venter capiti, caput carnibus et ventri mor- » bum facit, et reliquæ omnes juxta eamdem » rationem sibi ipsi suas affectiones transmittunt » et communicant. » Cæterum quis ignoret ce- lebrem illum e directo consensum toties ab Hip- pocrate celebratum ? quemque infinitis experi- mentis stabilitum invenire est in Baglivi Speci- mine *de fibra motrice*.

Simillima censere ex veteribus plurimi.

CELSI.

Celsus, qui sua omnia ex Hippocrate videtur compilasse ideoque Hippocrates Latinus cognominatus est, non minus quam ipse de hoc consensu meminit.

PYTHAGORÆ.

Pythagoras, philosophorum magister, teste Baglivo, unicum rerum ponebat principium superius et inferius unum, « id est, omnia consen-» tiunt, inquit Baglivus, ob fibrarum tensionem. »

GALENI.

Galenus, licet magis circa ratiocinia quam naturæ observationes occupatus, tamen etiam advertit quomodo partes ægræ secum trahant in afflictionem alias partes. In omnibus enim operibus, et præcipue initio *de locis affectis*, sympathiæ partium meminit ac serio inculcat ad eam in praxi necessario esse animum reflectendum : « nervosis partibus, inquit [1], in-» flammatis promptius quam reliquis delirium » supervenire solet, idque ascendente ad caput » interdum per continuas partes solo calore, in-» terdum vero spiritu vaporoso, fumoso aut fu-» liginoso. » Et alio loco meminit deliriorum per consensum, vertiginis ex stomacho, prout etiam asserit censisse Archigenem, medicum antiquis-

1 Classe 4. lib. de locis affectis.

simum, qui, libro primo *de longarum affectionum notitia*, ita de scotomatica hac passione scribit : « porro ea bifariam oritur; aut enim in » ipso capite, aut in his partibus quæ circa hy» pochondria sunt. » Consensum equidem illum historiis practicis idem Galenus magnopere confirmat. « Piscator, inquit, diu solo frigido de» sederat; in involuntariam fæcum et urinæ » excretionem incidit; fomentorum calidorum » usu sanatus est. Quidam sub multa pluvia » fecit iter, ac validis ventis pallium madefac» tum cervici imposuit; pars pericranii sensu » carebat; medici capiti remedia quotidie appli» cabant, nihil proficiebatur; cervici consultum » est, sanatur. » « Iis ex locis patet, ait Ballo» nius [1], consultos nos esse oportere in reme» diis usurpandis, ne parti temere adhibeantur, » quum tantum compatiendi lege laborat. »

IDEM PROBATUR EXPERIMENTIS TAM MEDICIS QUAM CHIRURGICIS.

Transilio hic auctoritates plurimas, quas infra opportune producturus sum. Enimvero si quis vel a longinquo ægrorum lectos salutavit, novit ille profecto non raro evenire ut, dolore quodam insolito partem aliquam affligente, mox febris exoriatur, et exinde totam animalis œconomiam conturbet. Id quod satis a Ballonio adnotatum est : « in doloribus, inquit [2], excitan-

1 Paradig. 169. 179.
2 Epidem. lib. 1.

» dis valet maxime id, quod dicitur totum » corpus conspirare ac confluere, ut sæpe dolor » alia in parte excitetur, quam ubi primaria » causa sit. » Sed numquid id quotidie conspicimus ? Si pars quæcumque corporis afflicta duriuscule tractetur; si pars vulnerata secetur; si in ulceratam acriora inspergantur; mox horrore et rigore totum non modo concutitur corpus, spasmodice quæcumque carnosæ ac musculosæ contrahuntur partes, sed et actiones omnium partium sæpius sistuntur, ita ut et ipse cordis sufflaminetur motus ac syncope ingruat, corde scilicet in sympathiam tracto. Id tamen maxime est observabile, si pars nervosa, membranacea, aut tendinea afficiatur : « ea enim est, ut optime » adnotavit auctor Nuclei Hippocratis, nervosi » generis conditio, ut facile per totum corpus » ejus passio refundatur et caput imprimis tra» hatur in consensum. » Hæc confirmant symptomata a punctura nervi vel tendinis induci solita. « Nervi, inquit Boerhaave [1], puncti vel » dimidiato discissi, dolores aliquando primo » obtusos, nonnumquam vivos excitant, primo » in loco vulneris, post per omnes nervos nexos » vicinosque ; hinc calores, tumores, rubores » late sparsos, febres, deliria, spasmos, inflam» mationem, inflammati aperturam cum eva» cuatione acris tenuis et copiosissimi sæpe seri;

1 Aph. 163.

» postea insensibilitatem, rigiditatem, exsicca-
» tionem, immobilitatem producunt vel gangræ-
» nam et mortem. » Confirmari hæc magis possunt memoratu dignissima historia Caroli noni, Gallorum regis : illi enim quum pro vena nervus punctus esset, mox ingentes dolores et convulsionem gravem ingruisse memorat Ambrosius Paræus, ac ex eo Sylvius. Ab annis non ita multis, a punctura tendinis mortem nobilissimi cujusdam viri hic (Lovanii) subsecutam, plures mecum meminerunt. Si in partibus internis et præcipue nervosis ac membranaceis abscessus forte fiat, toto maturationis tempore rigores et horrores in partibus externis observantur; nec desunt dolores capitis ingentes, lassitudines spontaneæ, ac pleraque alia febrim concomitantia symptomata. Licuit hic quondam videre juvenem vehementer febricitantem, cui plurima præscripta fuerunt incassum antifebrilia; verum tumore quodam, qui ex prævio lapsu in capitis parte posteriore observabatur, aperto, subito omnia placata sunt febrisque sublata. Quid? quod ab infelicissima clavi pedum exscissione in consensum tractis præcipuis corporis partibus, actiones omnes fuerint sufflaminatæ et mors subsecuta? « unde patet, ut ait Valenti-
» nus [1], ab exiguo, qui videtur sæpe, morbo
» periculum non contemnendum sequi cumpri-

1 Miscell. curiosiss.

» mis, si partes nervosæ atque tendinosæ irri-
» tentur. Summus enim rerum Conditor (verba
» sunt celeberrimi Ettmulleri [1]) sapientissimo
» consilio corpus nostrum ita construxit, ut se
» habeat instar machinæ hydraulico-pneuma-
» ticæ, (ego addo, elasticæ); hujus rotulæ seu
» fibrillæ cuidam nerveæ, ad motum necessariæ,
» si tantillum impedimentum vel læsio infera-
» tur, plures partes, nisi et tota machina, com-
» patiuntur. Patet hoc per exempla : ut a levio-
» ris momenti causis incipiam, perpendamus
» tantillum pulvisculum oculis illapsum, vel
» cilii pilum introversum, oculi bulbum de-
» flexum aut crescentem, quantas creet moles-
» tias, lymphæ effluxum, sanguinis stagnatio-
» nem, hinc oculi inflammationem non omni
» semper periculo carentem, ni causa compri-
» mens mature auferatur. Vertebrarum dorsi
» levis subluxatio aut contorsio quanta, quæso,
» interdum excitat symptomata per consensum
» nervorum et spirituum, lipothymias, sudores
» syncopticos, difficilem respirationem, nau-
» seam, vomitus, virium prostrationes; ita ut
» mors interdum instare videatur, meritoque
» proinde restitutio quantocius instituenda sit.
» Hæc vel ex compressione tantilli nervorum
» spatii proveniunt. Graviora longe symptomata
» sequuntur, si ipse nervus vel tendo quidam,

1 In Disput. de parvis magnorum morborum initiis.

» circa articulum imprimis, aut etiam quædam » membrana sensilis pungatur aut vulneretur, » unde universi sæpe corporis oriuntur convul» siones, interdum gangræna et hinc ipsa mors, » quemadmodum Simon Pauli *de febribus ma-* » *lignis* aliique observant. »

Est igitur sympathia partium per experimenta chirurgica allegata, ac præcipue per symptomata periostii affectionibus supervenientia ita luculenta, ut de communicatione totius generis nervosi inter se jam nemo dubitare possit. Neque chirurgiæ in hac parte cedere debet praxis clinica, quæ morborum frequentes successiones atque metastases, seu a parte ad partem transmutationes indies observat.

« Corpus igitur nostrum, ut ait Du Hamel in » suis Institutionibus philosophicis, ut machina » quædam incredibili arte fabricata spectari de» bet, adeo ut vel longius dissitæ partes in con» sensum illius, quæ affecta est, trahantur [1]. » « Nihilque miri est, ait Hecquet, si interdum » sub levissimo dolore, corpus universum con» doleat : publica est, et ut communis omnium » partium consensio. »

Sed in quo tandem, quæret quispiam, communis illa partium consensio consistit? Id nempe ut ostendatur, hoc opus, hic labor. Res enim ipsa a posteriori, ut aiunt, est manifestissima, sed

1 De purganda medic.

a priori occultissima : verumtamen, ut hic aliquid lucis et satisfactionis præmittatur, pluribus exemplis exhibendis tantisper supersedebo, donec plausibili aliqua ratione mutuam illam partium dependentiam illustrare conatus sim [1].

1 Hujus capitis quasi corollarium vide apud Van Coetsem, in Med. theor. Consp. proleg. § 38.

CAPUT TERTIUM.

DE ORIGINE, CAUSA, AC MODO CONSENSUS PARTIUM.

DE CAUSA CONSENSUS QUID SENTIANT AUCTORES.

Apud varios institutionum medicarum auctores quatuor solent memorari consensus partium causæ : scilicet ; generis similitudo, operis sive officii societas, vasorum communio, et vicinitas. Quorum more forte seductus Baglivus in Specimine *de fibra motrice* caput inscripsit : *de consensu solidorum, jure originis, vicinitatis, usus, et communicatione officii*. Quid de singulis sit censendum, paucis declaremus.

Zypæus noster, licet scholasticæ methodo mire addictus, generis similitudinem et officii societatem nihil contribuere ad consensum partium arbitratur. « Siquidem, inquit, illa generis simi-» litudo nihil explicat, sed potius rem obnubi-» lat. Deinde, si fiant illa ob generis similitu-» dinem, cur, affecto cerebro vel puncto uno » nervo, non omnes nervi afficiuntur ? vel si ob » officii societatem cum aliquibus velis canere, » affecto diaphragmate, affici et musculos inter-» costales, dic quomodo partes officii sui societa-» tem agnoscant ? » Qui plura desiderat, adeat Bayle, in Dissertatione sua *de sympathia uteri*.

FIT PER VICINITATEM PARTIUM VEL NERVORUM COMMUNEM ORIGINEM AUT COMMUNICATIONEM.

Malunt igitur celebriores auctores sympathiam deducere a vicinitate partium, vel a communione vasorum; sic tamen, ut per vasa præcipue nervos intelligant. Verum non satis conveniunt quomodo partes mediantibus nervis mala sibi soleant communicare. Ettmulleri filius, in ultima editione operum patris, consensum illum statuit in fibrillarum nervosarum ramificatione varia : « quum enim, inquit, iste supponat sensum, et » fiat quando, una parte laborante, altera pars et » sensu simul afficitur; necesse est, ut fundamen- » tum omnis consensus et morborum per consen- » sum in structura et textura nervorum in specie » nervosarum membranarum quæratur, ratione » quarum cum aliis connexæ consentiunt, non » connexæ non consentiunt. Consistit ergo con- » sensus partium in connexione unius cum al- » tera, qui triplici imprimis solet fieri ratione, » ita quidem, ut omnis proprie dictus consen- » sus fiat ratione saltem nervorum. Consentiunt » nempe partes nerveæ triplici modo : primo qua- » tenus fibræ nerveæ sunt continuæ; qua ratione » imminente vomitu tremit labium inferius : » vel secundo quatenus sunt contiguæ; quarum » ratione calculus vesicæ subinde stimulum in- » fert alvi, et tenesmum excitat; quia collum » vesicæ et intestinum rectum invicem incum-

» bunt; sic, affecto orificio stomachali, sequitur » singultus. Tertio, consensus partium fit ratione » connexionis mediantibus funiculis nerveis; qua » ratione consentiunt renes, ureteres et intes- » tina, stomachus et caput. » Hactenus Ettmullerus, et quidem, mea sententia, satis fundate. Nam consentire frequentissime partes ob vicinitatem vel etiam continuitatem fibrarum, indubitatum est : etenim parte aliqua corrupta, vicina seu continua eamdem contrahat labem, necesse est. Deinde consensum partium satis plausibiliter per communicationem funiculorum nerveorum, vel etiam per originem communem explicari posse, autumo.

DE NERVORUM ORIGINE.

Molestum tamen est auctores tantopere inter se discrepare, dum exponunt qua ratione, jure originis vel saltem connexionis nervorum, partes sibi compatiantur. Subtilissime equidem id mihi videtur executus clarissimus noster Verheyen [1], dum consensum, qui mammas inter et uterum intercedit, explicare conatur per communicationem nervos uterinos inter et mammarios, seu per utrorumque nervorum communem originem. « Dependet, inquit, talis consensus, » et inter nervos communicatio ex eo potissi- » mum, quod talis sit istorum nervorum con- » nexio et propinquitas, ut notabilis irritatio

1 Supplement. anatom.

» unius etiam communicetur alteri, atque adeo
» spiritus, dum per talem irritationem copiose
» determinantur in priorem, etiam abundantius
» ruant in posteriorem : quod imprimis optime
» fieri concipitur, si duo isti nervi habeant ali-
» quod commune principium, quamquam et
» omnis nervorum connexio propinqua tali con-
» sensui aliquatenus inservire posse videatur. »
Parem consensus partium rationem in scriptis suis ante proposuerant celeberrimi ac de arte medica et potissimum anatomica optime meriti viri, Willisius et Vieussens, et hodie dum plerique medicorum ad eorum normam consensus rationem et modum explicant. Verum non desunt viri docti, quibus hæc consensus ratio plane rejiciatur, tum quod existentia spirituum animalium, prout passim concipiuntur, a pluribus revocetur in dubium; quandoquidem errare videantur, ut asserit Hecquetus, qui nervos tubulorum cavorum congeries esse putant, ut ponere debent ii qui per influxum copiosiorem sympathiam explicant; tum quod pluribus in casibus manifestus consensus appareat, ubi nihil minus quam hujusmodi nervorum communicationem detegere possis. Quod imprimis locum habere in famoso illo inter uterum et mammas consensu fatetur Anatomicus noster maxime industrius. « Fateor, inquit [1], communicationem inter

1 Verheyen, loco jam citat.

» nervos uterinos et mammarios non ita demonstrari posse per anatomiam, tum quia illius beneficio nondum ostendi potest certum ac determinatum nervorum principium, tum quia nervi plurimis in locis ita sibi invicem sunt impliciti, ut deinde vel nullo modo, vel saltem difficulter observetur quænam præcise filamenta ad hunc, quænam ad illum nervum pertineant; unde dictarum partium nervi inobservabili nexu conjungi possunt. »

SENTENTIA SCRIPTORIS FIT POTISSIMUM PER CONTINUATIONEM MEMBRANARUM.

In hac opinionum differentia quid ego hactenus conjiciam, accipite. Non rejicio rationem sympathiæ partium, quam petunt a communi origine vel communicatione nervorum, quoties nimirum illa communicatio observatur vel subesse probabiliter existimatur; imo in his casibus puto eum explicandi modum sufficere posse et debere. Sed quid dicendum de illis eventibus, ubi nulla manifesta aut probabilis connexio, nulla vicinitas aut contiguitas nervorum? Pro illis arbitror assignari posse aliam non minus plausibilem eamque potissimum Baglivi experimentis innixam rationem, nempe mirabilem et celebrem illam fibrarum et præcipue membranacearum continuationem per totum late corpus productam. Stabilivit hanc continuationem Baglivus in Tractatu *de fibra motrice*, ubi ostendit

3.

plerasque partes, saltem sensibiles, nihil aliud esse quam duræ meningis fibrarumque medullarium cerebri productionem et continuationem. Neque offendere hic debet *productionis* nomen, quod auctori nihil hic aliud significat quam *extensionem* et nullo modo *generationem*, ut quidam inepte interpretantur. Dico igitur in dubium revocari non posse, quin omnes membranæ totius nostri corporis continuentur ac connectantur cum membranis cerebri, idque mediantibus nervis, dum scilicet « illi extenduntur in ingen» tem latitudinem et ita magnas efficiunt mem» branas, licet truncus nervi sit valde tenuis [1], » ita ut omnes continuentur nervi immediate vel mediantibus aliis membranis. Experimenta, quibus hæc probantur, videri possunt apud laudatum auctorem, quamquam vel ipsa ratio idem fere dictet. Quum enim membranæ omnes in singulis suis partibus, quin et in minimo puncto, sint maxime sensibiles seu ipsa potius sensationis instrumenta, manifeste consequitur, quodlibet membranæ punctum, quantumvis exiguum, vel esse nervosum, vel nervo aliquo obductum, aut quoquo modo intextum. Liceat igitur cum Nicolao Sassio in litteris [2] ad Jobum Van Mekeren loqui : « Quum certum sit, similiter ac nervi nihil » aliud sunt quam cerebrum expansum, mem» branas etiam nihil nisi nervos extensos et am-

1 Bagliv. de fib. motr.

2 Observat. Job. Van Mekeren.

» pliatos esse, adeoque consensum partium æque » membranarum quam nervorum ope perfici; » imo, ut ego arbitror, magis etiam absolvi. Quum enim omnia inter se consentiant in corpore, quænam erunt consensus convenientiora instrumenta quam membranæ, quæ omnes latissime se extendunt, imo plerasque fibras suas dispergunt per omnes et singulas corporis nostri partes, nisi hic vel illic desinant in aliqua viscera, glandulas? Quid? Quod nonnulli sustineant totum corpus non esse nisi membranam, variis in locis replicatam congruisque liquidis irroratam.

OSCILLATIONUM PROPAGATIONES.

Posita continuatione membranarum, ulterius insistentes vestigiis Baglivi, concipere licet partes inter se consentire per hoc, quod solidum irritatum et oscillans momento temporis oscillationes suas propaget ad remota et vicina loca, quibus per continuam suarum fibrarum seriem connectitur. Si enim, juxta communem solidorum legem, tacta extremitate alicujus fibræ alterum ejusdem extremum statim consentiat, « cur etiam fibra nostra, ab objectis morbosis » vel aliis varie pulsata, pulsationem illam et » augere et perpetuare atque ad remota corporis loca momento temporis protendere non » possit [1]? » « siquidem, ut ait Freind [2], mem-

1 Bagliv. de fib. mot.
2 In commentar. de febribus.

» branæ omnes elasticæ sunt, ideoque a vi ex-
» terna diversimode vel constringi vel explicari
» soleant. Hinc pelles animalium tam mortuo-
» rum quam viventium sese in arctum retra-
» hunt, si calor aliquo modo accesserit; idque
» in omnibus corporibus quæ flecti et resilire
» queunt, perpetuum est, ut, si qua eorum
» portio aut porrectior aut contractior fiat, cæ-
» teræ omnes pariter de statu pristino decli-
» nent. Serici quippe aut chalybis filum, funis,
» vel chorda musica, si quam in altera extre-
» mitate vim passa fuerit, in altera vibrabit;
» quæ quidem omnia per totam æqualiter lon-
» gitudinem aut intendi aut remitti videmus.
» Si quam itidem membranæ partem vehemen-
» tius pervelli et contrahi contigerit, quod re-
» liquum est una conspirat et modo plane si-
» mili afficitur. Totius adeo corporis membranæ
» mutuum inter se invicem commercium ha-
» bent etc. » Profecto, cur fibras corporis nostri summe contractiles atque elasticas ab hisce legibus mechanicis exemptas esse velimus, non video. Nihil igitur obstat, si dicatur consensionem seu condolentiam et partium compassionem fieri per oscillationem dolorosam, a centro oscillationis loci affecti ad remotas partes communicatam. Hujusmodi oscillationes ab ipsis ægris nonnumquam percipiuntur, quas vocant fumos ascendentes, vapores vagantes, fluxiones descendentes, catharros ad hanc vel illam par-

tem decumbentes etc. Quæ frequentissimæ sunt in hystericis, epilepticis, in quibus hæ passiones manifeste originem ducunt ab extremis pedibus, testiculis, utero, intestinis, ventriculo, aliisque magis abditis partibus, et caput ipsum perrepunt sub forma prædictorum vaporum fumorumve. Verum nec fumi nec vapores nec fluxiones sunt, « sed spasmodicæ fibrarum oscillatio- » nes e partibus ad partes leniter progredientes » quæ, a centro oscillationis dum propagantur » sub vaporum specie, patienti illudunt [1]. »

IDEM OSTENDITUR ALIORUM AUCTORITATE.

Non est hæc opinio recens nata, sed et sapientissimi medici eam tenuerunt ac in scriptis suis manifestarunt. Audite Ettmullerum : « Nec » rarum est, inquit, convulsiones graves, varios » et epilepticos membranarum cruciatus virgi- » nibus, mulieribus, viduisque supervenire, » quatenus irritatis nervis, uterinis plexibus » convulsis, hi ulterius spasmodicas suas con- » tractiones continuant, et ita quoque ad mem- » bra superiora evibrant. » Willisius, si ullus, methodice describens febres puerperarum, modum illum propagationis iisdem explicat verbis, ac ii jam facerent, quibus arridet Bagliviana hypothesis : « Quum utero, inquit [2], noxa in-

1 Bagliv. de fib. mot.
2 Willisius, de febribus.

» fertur, eadem aliis partibus, non sine totius
» corporis molestia, cito communicatur... affec-
» tiones hystericæ latius extenduntur propter
» insignem consensum, qui inter uterum et ce-
» rebrum cum totius corporis fibris et membra-
» nis, mediante nervoso ductu, intercedit : quum
» enim nervorum extremitates, circa partes ute-
» rinas consitæ, ob humoris noxii præsentiam,
» in spasmos et motus convulsivos adiguntur,
» convulsiones illic susceptæ, statim superius
» latæ, per nervorum nexus peristolas, cere-
» brum versus perreptant; adeoque viscera suc-
» cessive inflari et immaniter convelli, etc..... »
« Quod enim per vapores, pergit eloquentissi-
» mus auctor, fieri vulgo dicitur, et affectus,
» qui ab infra ad superiora perreptans, vapo-
» rum ascensus vocatur, nihil aliud est quam
» membranarum ductuumque nervosorum par-
» tes successive in spasmos adactæ ! » Et paulo
post : « Exortæ anomaliæ, in viciniam, indeque
» in cerebrum continuantur, ex quo rursum in
» alias partes et non raro totum corpus con-
» vulsiones reflectuntur. »

QUA RATIONE PER OSCILLATIONES FIANT CONSENSUS.

Hac occasione incidit non contemnenda quæstio : an scilicet, ut partes sibi consentiant, oscillationes morbosæ prius transferri debeant ad cerebrum et inde reflecti ad partes consentientes. Hoc enim Willisius insinuare proxime citatis

verbis; et aliis placere videtur, et maxime iis, qui per spiritus omnia explicant. Et ejusdem videtur fuisse opinionis exactus ille naturæ observator Morton : « Quid, inquit [1], in enarranda » symptomatum ætiologia magis apud priscos decantatum est, quam sympathia sive consensus » partium? Ex hac vomitionis a concussione cerebri vel nephritica affectione causam reddunt, ut, nisi respectus habeatur ad continuitatem et nexum totius corporis cum cerebro, » vix alias solvi potest hoc phænomenon; jacto » vero hoc fundamento, quod tota machina, e » fibrillis cerebri elongatis et expansis conflata, » ab eodem dependet, quam facile concipi potest, » remotissimam quamvis machinæ partem et » consequenter ipsum ventriculum affici posse. » Ut ego autem quod sentio dicam, huic sententiæ omnino contrarius non sum : epilepsiæ enim per consensum luculenter evincunt oscillationes fibrarum morbosas et præcipue majores frequentissime traduci versus cerebrum, atque inde ad partes subjectas sic quandoque resilire, ut tota animalis œconomia corruat. Non propterea tamen continuo crediderim oscillationum propagationem et communicationem numquam fieri, nisi prius per caput transierint, maxime si membranæ, inter quas oscillationes consistunt, sibi sunt contiguæ : et hæc quidem obiter.

1 In Tractatu de febrib.

Superest ut examinemus, num et alii auctores similem foverint opinionem de modo propagationis oscillationum per fibras. Valentini consensum hac ratione concipit et explicat [1] : » Consensus, inquit, ratio et natura radicata » videtur magnam partem in materiali nervo» rum fibrarumque textura, quæ ita se habet, » ut si in unico puncto tangas eosdem, instar » fidium vel chordarum distensarum per totum » sui tractum crispentur, motumque inibi im» pressum ad principium usque nervorum con» tinuent. » Et paulo post : « Hanc consensus » rationem et successivam fibrarum crispaturam » vel ipsi ægri sentire sibi videntur, qui nescio » quos fumos et vapores ex partibus inferioribus » ad caput ascendere persentiscunt, ad id forte » persuasi de vaporibus Galenicorum quorum» dam dogmatibus, qui sane, quum artificiosa » nervorum textura iis adeo quidem perspicue » cognita non fuerit ac modernis, Φαινόμενα hæc » non aliter explicare et expedire potuere, quam » per fumosas quasdam exhalationes : sed meri » nervorum spasmi sunt, iique in principio le» viores, ut sub vermiculationis sensu sese ma» nifestent. Patet hinc cur hypochondriaci et » hystericæ sæpe sibi consulant stricta lumbo» rum ligatura, non quasi fumi talis ascensus » impediant, sed quod inchoantem nervorum

1 In praxi infallibili, in append. ad convuls.

» crispaturam nonnihil sufflaminent. » De efficacia lumborum ligaturæ, vel etiam solius pressionis sub costis spuriis in hysterica etc., consulantur opera Buyzen, celeberrimi nobisque amicissimi viri.

Hæc sufficiant, ut ostendatur satis tute consensum partium deduci posse a continuatione membranarum et earum continuatis contractionibus ac oscillationibus. Possem in confirmationem rei satis stabilitæ plura adferre non solum ex Baglivo, sed ex variis aliis auctoribus argumenta, quæ accommodatius aliis locis exhibebuntur.

Non sunt tamen dissimulandæ quæ occurrunt difficultates. Quis enim facile explicet, qui fiat ut hæc potius pars afficiatur præ illa, licet ambæ communicationem habeant cum parte affecta, ut partes intermediæ aut his viciniores a contractione maneant immunes, licet eorumdem nervorum cum cæteris participes; imo ut partes illæ ipsæ in quibus nutrimen seu fomes convulsionis detinetur, non raro nihil convulsivi patiantur? Ad has forte difficultates advertens Ettmullerus in Dissertatione sua *de vi opii diaphoretica*, hunc in modum scripsit : « Mirabilis sane » est nervosi generis in universi corporis machina » connexio et consensus, mutuaque hinc tam » quoad actiones quam passiones conspiratio et » concentus, iis in casibus, in quibus anatome » nondum sufficientem subministravit lucem, » adeo obscura, ut ingeniosissimus alias Van

» Helmont fingere coactus fuerit ignotam actio-
» nem regiminis [1]. »

Ipse Baglivus sensit illam difficultatem : « Ori-
» tur, inquit [2], a similitudine et continuitate illa
» generali ac profecto mirabili inter omnes par-
» tes membranosas nostri corporis, cujus ope
» incredibilia fere et captum nostrum fugientia
» in operationibus corporis animati succedunt,
» adeo ut sæpissime cedere debeamus naturæ
» renuenti revocari. » Conatus tamen ille fuit naturam etiam renuentem detegere; verum enimvero dolendum est immatura morte virum tantum nobis ereptum esse. Propositas igitur difficultates hac ratione enodare conatur : « Hujus,
» inquit, mechanices causa, inæqualis nempe
» impetus et resistentiæ inter fibras, sæpe suc-
» cedit, ut existente alicubi dolore, non ibidem,
» sed in parte longe remota excitentur tumores,
» inflammationes, abscessus etc., id est, vel in
» parte, in qua terminus est fibræ dolore cris-
» patæ et oscillantis, vel in alia, quæ ob pecu-
» liarem tonum, resistentiam habet superiorem
» atque validiorem impetu fibræ oscillantis. » Et sic concipere licebit, quomodo motus oscillatorii nonnumquam in centro sint minores quam in circumferentia, ita ut motus sæpe crescant,

1 Quam et nos fingere, ni ignorantiam fateri malimus, cogimur; quod insinuat Cl. Adelon, in Acad. Par. Prof. Dict. de Méd. Tom. 20. art. *Sympathie*.

2 Prax. med. lib. 2.

uti fama, eundo: deinde quomodo certis terminis illi præscribantur, quum fibræ aliquando in tantum resistant, ut ibidem supprimantur ac finiantur; vel si fibra magis expandatur ac sit elastica, eo magis consentiet; si vero in visceribus vel glandulis quibusdam desinat, peculiarem tunc cum illis consensum deprehendere erit. Et sic, ob peculiares fibrarum progressiones unionesque, consensus orientur peculiares, et prout textura, tonus, elaterium membranarum sibi continuatarum, per quas oscillationes propagantur, variant, etiam oscillationes variabunt, majores minoresve fient. Atque hoc modo satis feliciter solvi videntur difficultates supra positæ, quare scilicet hæc pars remotior afficiatur potius quam illa intermedia aut vicinior etc., maxime si hoc etiam adjungatur, fieri posse, ut oscillationes quædam directiones habeant peculiares versus certas partes, ibidemque excitent dolores aliasque affectiones hujusmodi. Deinde non ita arduum amplius videtur intelligere, quomodo noxa quæ infligitur alicui parti, non in hac, sed quandoque in remota tantum sentiatur. Potest enim, ut præfata non repetam, in parte affecta talis subesse fibrarum corrugatio, ut motus oscillatorii versus cerebrum propagatio, non secus quam per vinculum aliquod nervo injectum, præpediatur, adeoque et desit sensatio, quam in cerebro fieri nemo est qui nesciat.

AUCTORIS SENTENTIÆ CONFIRMATIO.

Possem hic latius per theoreticos campos spatiari, sed indulgere non juvat speculationibus, quarum in praxi exiguam noverim esse utilitatem. Sufficit, ut consensus partium ideam aliquam habeamus, si cum Hecquetio [1] « corpus » nostrum consideremus ut nervorum plicis ac » curvaturis contextum reticulum, contractili- » bus funiculis secum sic consentientibus, ut, » constricti, dissitos illico retrahant; » vel si cum Baglivo idem corpus aspiciatur « ut fas- » ciculus fibrarum varie contextarum sibi mu- » tuo respondentium, et ab intus se movente » fluido, veluti ἐλατῆρι quodam, hinc inde flexa- » rum; unde quidem proveniat consensus ille » unus, conspiratio una, consentientia omnia. » Ex quo et abunde intelligi potest quomodo, læsa vel inflammata notabiliori membrana, totum inde corpus haud raro patiatur tam vehementer, ut undique contremens eat et interdum corruat; nimirum, quia violentior motus, in una membrana suscitatus ac per totam continuatus machinam, inimicos ubique turbines suscitat. Porro quemadmodum quarumcumque membranarum non est æqualis tensio, et æquale cum meningibus nervisque commercium, et elasticitas eadem, ita etiam dispares secundum affec-

1 De purganda med.

tarum membranarum differentes affectus mirari licet.

Si quis igitur occultæ partium sympathiæ rationem aliquam plausibilem desideret, insistat ille hujus dissertationis methodo : si in nervis, qui implantantur partibus consentientibus, observetur manifesta aliqua communicatio, connexio aut origo communis, non erit opus in aliam inquirere sympathiæ causam. Ubi vero manifesta hujusmodi causa non erit observabilis, recurri poterit ad partium membranacearum continuationes et oscillationum propagationes. Quod si equidem hæc explicandi ratio non satisfaciat, non est quod quis propterea se angat: siquidem ad praxim hoc unum maxime faciat, ut ad consensum numquam non attendatur. Esto enim, compassionis modus tibi lateat; satis fuerit nosse, alicubi membrana nervosa gravius afflicta aut irritata, « fibras distinctæ partis, ut » loquitur Wepferus, ab hoc objecto irritante » immunes, ad contractiones sollicitari imo cogi, » quod vulgo per consensum fieri dicitur. »

Si quis tamen omnino velit inquirere in modum rationemque sympathiæ, ei auctor sim, ut ad solidas corporis nostri partes potius quam ad fluidas attendat. Nimirum in solidis consensus consistit, nempe per funiculos nervosos, aut membranaceas expansiones et continuationes facta communicatione. Enimvero si quis sedulo omnia perpendat, næ ille advertet

rationem consensus non tam facilem perceptu esse in fluidorum quam in solidorum systemate. Prout solidæ sunt partes quæ sentiunt, ita et eædem sunt organa et instrumenta consensus, seu mediantibus iisdem mala communicantur. Licet non sit negandum solida ad enormes sæpe contractiones motusque anomalos a fluidis acrioribus, in motu suo impeditis, nimium exæstuantibus, etc. sollicitari et induci, non est tamen putandum hoc sic ubique fieri a fluidis acrioribus, acidis, alcalinis, prout quibusdam in more est qualescumque tumultus in machina excitatos adscribere fluidis vellicantibus, irritantibus, etc. Aliud nos doceat spina infixa, aliud vulnera, puncturæ tendinum, animi denique pathemata, jamque allegata exempla, et plura in progressu adferenda [1].

Etsi organa et instrumenta consensus partes nervosas et membranaceas, ut solas, statuerim, dici tamen quandoque potest compassionem partium fieri per vasa sanguifera. Contingit enim non raro, ut fluida, si per partem aliquam circulantia retineantur, subito impetu rapiantur alio, variasque ibidem tragœdias excitent. Etenim necessitate legis mechanicæ hydraulicæ sequitur, fluida, in cursu suo impedita, majori vi et copia in alias partes debere proruere. Hisce adde vasorum sanguiferorum non raro

1 Vid. Van Coetsem, Med. theor. Consp. § 44.

perversos, immutatos, imo retrogrados oscillatorios motus, in corpore nostro subortos, huic rei ansam præbere, circulationemque sanguinis inæqualem efficere. Cæterum inæqualis ut habetur sanguinis circuitus, plures morbos producit quam vulgo sciatur. Ab eo enim sanguinis stases, stagnationes, easque subsequentes partium inflammationes; ab eo pleræque hæmorrhagiæ. Speciminis loco sit eruptio sanguinis menstrui per os, occlusis viis uterinis. Sed de ea partium inter se communicationis ratione et modo alias agendi forte dabitur occasio.

CAPUT QUARTUM.

DE CAPITIS CUM OMNIBUS ET SINGULIS CORPORIS PARTIBUS CONSENSU.

RATIO CONSENSUS CAPITIS.

Quum capite præcedente demonstratum sit, membranas omnes totius corporis ac ex membranis composita viscera cum capitis involucris, meningibus dictis, continuata suarum fibrillarum serie communicare, ita ut earum a vertice capitis usque ad calcem pedis sit continuata extensio, mirum nihil, si caput, mediante illa meningum productione, cum omnibus et singulis corporis partibus, lege mechanica, consentiat : nam quum earum fibrillarum sit tensio ad instar tympani, recepti impulsus propagentur, tam a capite ad partes quam a partibus ad caput, necesse est.

FIT CONSENSUS MEDIANTIBUS MENINGIBUS.

Arbitror igitur caput non, vel vix saltem, consentire, nisi mediantibus pia et dura matre; quum infinitis constet experimentis, substantiam cerebri per se nullo sensu, adeoque nec consensu præditam, præcipue quum mihi persuasum sit illud, quod partes, capiti sub-

jectæ, ab eo ad vitam earum seu potius motum et sensum necessarium mutuantur seu accipiunt, omne ad eas mediantibus membranis traduci et propagari. An illud non satis confirmatur, quod plures sine cerebro vixerint, prout inter alia satis evidenter probat historia fœtus masculi relata a Mery [1]? Fœtus hic debito in lucem editus tempore sine cerebro et spinali medulla vixit horis plus viginti, eoque tempore alimentorum nonnihil sumpsit : dura et pia mater, ait auctor, efformabant canalem in vertebris. Plura similia, pergit, a nobis relata exempla parum systemati communi faventia [2]. Hisce adde quæ desuper adnotavit Baglivus. « Hæc, » inquit, confirmant historiæ plures eorum, qui » sine cerebro nascuntur et vivunt ; vivunt tamen, quia, licet medulla cerebri non adsit, » adsunt tamen binæ meninges, quarum præcipuum munus est motus infernis in partibus » producere varieque dirigere. Hujus generis » est historia puellæ sine cerebro natæ, relata » in Zodiaco medico Gallico, anno III. obs. 3. » Hæc vixit per 5 dies ; nata est cum tumore » capitis consistentiæ flaccidæ et fluidæ circa suturam coronalem, quæ hiare videbatur. Secto » capite, in tota ejus cavitate nihil inventum est » quam aqua limpidissima contenta a meningi-

1 Historia Academ. Reg. scientiarum, anni 1712.
2 Vid. Broussais, Prop. 54.

» bus; medullæ vero cerebri nihil. Hæc igitur
» puella intra et extra uterum vixit sine spiri-
» tuum animalium ope, quia medulla cerebri
» non aderat : ergo solæ meninges, perpetua sua
» oscillatione, fluidorum solidorumque motum
» infernis in partibus conservabant ac dirige-
» bant, id est, actione sive collisione solidi in
» solidum, sine spiritibus animalibus, qui non
» aderant. »

Dum igitur in progressu experimentis capitis consensum audietis probari, numquam rectius deducetis rationem ejus quam ex eo, quod membranæ quæcumque corporis, teste Croon [1], continuatæ sint et connexæ membranis cerebrum involventibus, quo fiat, ut pars una facile aliam per consensum et spasmo afficiat. Eadem præter propter est mens magni istius viri Vieussens qui, agens de pia matre, asserit, quod ea non modo omnes e cerebro prodeuntes nervos obducat, sed etiam quorumdam ipsorum, qui distinctis scilicet fibrillis circa originem constent, singulas fibrillas seorsim investiat. Unde fit, ut sæpissime, ubi hæc graviter læditur, nervorum e cerebro prodeuntium principia simul patiantur, adeoque partes capiti subjectæ, licet dissitæ, si graves sint illius affectus, in consensum trahantur, proindeque a statu na-

1 De motu musculorum in Willis. Tractat. de nervis adjunctis.

turali recedant. Hunc consensum ita elucidavit ac stabilivit Baglivus in toto suo opere, potissimum tamen Tractatu *de fibra motrice*, ut omnem ansam dubitandi exemisse videatur. Ostendit enim variis rationibus, omnes partes tantum esse duræ matris continuatas productiones; unde ex legibus percussionum, a Borello traditis, infert motum, qui in dura matre excitatur, non in ea tantum veluti limitibus septum contineri, sed deorsum expandi per partes omnes, quæ ab illa veluti principio originem traxerunt. Id ipsum comprobat variis, quas fecit, experientiis in animalibus variisque observationibus super vulneratis in capite, quibus omnibus consensum illum ita palam fecit, ut nihil addi necesse esse recte quisque judicet.

DURÆ MATRIS PUNCTURA EUM PALAM FACIT.

Nam si, cum Baglivo ovium recens natarum cranio cultro subtili sublato, duram matrem diversimode acubus tenuissimis pungas acresque liquores instilles, sympathia magna hujus partis sub oculos cadet. Sic enim; ubi dura mater a dextera pungebatur, in omnibus fere partibus convulsivi motus excitabantur, in ea præcipue vehementissimi, in qua ipsa pungebatur; si pungebatur a læva, confusio incredibilis in partibus omnibus infernis, tam sentientibus quam se moventibus, nascebatur et primo quidem in capite, deinde in reliquis. Eadem observabantur ab in-

jectione liquorum acrium; ab injectione vero olei amygdalarum dulcium stupores, torpores in visceribus etc. Qui plura desiderat adeat ipsum auctorem; melius ex ipso fonte bibuntur aquæ : nimis longum foret ea omnia huc transferre. Hæc, puto, sufficient, ut cum magno illo viro credamus a duræ matris læsione, punctura aut irritatione oriri vomitus aut motus convulsivos in visceribus et membris, quod illius spasmi inferioribus partibus, eidem subordinatis, statim communicentur, uti ab ejus flacciditate et relaxatione sequi in partibus inferioribus eique subordinatis similia quoque flacciditatis relaxationisque damna.

QUID INDE COMMODI IN PRAXI RESULTET.

Multum profecto lucis in detegendis morborum causis ac cura debite instituenda vobis adferet hæc doctrina, qua instructi indies in morbis detegetis, ex tensione præternaturali meningum subsequi easdem aliis in visceribus constitutiones præternaturales. Sic facillimum vobis erit conceptu, quomodo catharri ex capite defluant; quis ille sit humorum decubitus. Crispata enim dura matre, aut atonia laborante (Galli vocant *le cerveau est débandé*), quid miri in partibus membranaceis, subjectis ipsi, continuatis similes oriri affectiones; hincque liquidorum ad ipsarum contactum fluentium interceptiones et stagnationes subridebitis, dum non modo patientes,

sed et medicos hic falli videbitis, dum hi fidem adhibent illis, qui se descensum ac prolapsum humorum ex capite ad partes persentire affirmant, quum tamen nihil materiale ex capite descendat et sensatio illa suppositi descensus tantum oriatur occasione oscillationis seu successivæ membranarum spasmodicæ contractionis, solito majoris, e capite ad partes descendentis, per quam fit, ut ex hac vel illa glandula exprimatur copiosius liquor contentus, vel in his vel illis partibus, in quibus hæ desinunt oscillationes, liquidorum cursus intercipiatur. Hinc vos discetis quid ab intensis animi cogitationibus, studiis, curis, ac sollicitudinibus, ubi meningum fit continua tensio, sit in partibus inferioribus timendum. Hinc vobis licebit petere originem hypochondriacæ, studiosis maxime familiaris, affectionis. Facile erit rationem dare quare in deliriis hypochondria introrsum pergant, quum dura mater convulsa et convellat contrahatque universum systema membranaceum. Hinc colligere erit quare, imminentibus deliriis, urinæ ante intense rubræ, ut in febribus continuis, jam aqueæ et pallidæ excernantur ob tubulorum renalium nimiam crispaturam, ex consensu duræ matris subortam. Transeo plura, quæ diligens et sedula eorum, quæ circa morbos contingunt, observatio vos docebit.

SYMPTOMATA SUPERVENIENTIA, CAPITE LÆSO.

Superest ut vobis ostendam, quænam præcipue partes soleant malorum, quibus caput affligitur, consortes fieri, et quænam potissimum, capite male affecto, ingruere aliis in partibus symptomata; quandoquidem partium consensum optime denudent et manifestent affectiones earum externæ, ut vulnera, fracturæ etc. Advertite, quæso, ad vulnera capitis, sanguinis extravasationes intra cranium, inflammationes meningum, fracturas cranii, imo ad pericranii levissimas affectiones, et considerate symptomata subsequentia, moxque patebit quantus sit capitis consensus. Incredibile est, quam iis, qui capitis vulnera numquam inspexerunt vel saltem ex auctoribus eorum non efformarunt imaginem, stupenda sint symptomata quæ ingruunt, dum in fractura cranii a fragmentis et exstantiis quibusdam osseis pungitur dura mater, vel dum per cranii depressionem in junioribus subjecta premitur meninx, vel dum extravasatus ei incumbit sanguis. Audite hic aphoristice et perspicue, ut de cæteris omnibus, disserentem doctum illum Batavum [1]: « Cranium, in junioribus » intropressum, in adultioribus post fracturam » intropulsum, cerebrum premit; profunditate,

1 Boerhave, apud exteros antonomastice sic dictum, aph. 267.

» acutie, punctura prementis producit hebetu-
» dines, sopores, vertigines, tinnitus, caligines,
» deliria, vomitum bilis, dolores capitis, con-
» vulsiones, paralyses, lotii fæcumque sponta-
» neum exitum, apoplexias, febres, mortem.»
Fisso vero, fracto, contusove cranio, si arteriæ, venæ, lymphatica vasa, sub cranio rupta, effuderint suos humores, hi premendo cerebrum producunt sequentia, ut optime delineat laudatus modo auctor [1]: « vomitum biliosum; visum, au-
» ditum, olfactum, gustum, tactum minutos,
» depravatos, sublatos; vertigines, caligines, lap-
» sum, soporem, stertorem, resolutionem, con-
» vulsionem, delirium, lethargum, apoplexiam,
» horripilationem, febrem geminatam cruore per
» os, nares, aures effluente, ruborem faciei et
» oculorum.» Hæc, sic delineata a doctissimo illo viro, symptomata ab omnibus etiam depinguntur chirurgis : sunt alii qui plura, qui pauciora, qui certiora allegare volunt. Ut nihil vos fugiat, liceat eadem historice vobis exhibere. Dum dura pungitur vel premitur meninx, mox dolor et gravitas sentitur in capite; oculi hebescunt et inflammantur; faciei tumor et phlegmone supervenit; aphonia succedit, uti et tinnitus aurium et surditas; affectus subsequuntur soporosi; febris excitatur cum pulsu duro, qui tamen præcipue observatur, ubi dura mater a punctura

1 Aph. 275.

convellitur; bilis excitatur vomitus secundum hunc Hippocratis aphorismum : « Quibus proci- » ditur cerebrum, his necesse est bilis vomitum » supervenire [1] ; » hæmorrhagia frequenter contingit narium etc. In magna cerebri commotione et concussione eadem præter propter videntur phænomena; sunt tamen ea nonnihil diversa : in terram concidunt sine motu et sensu; sanguinis fit eruptio per nares, et quandoque una per os auresque; excrementa, tam per vesicam quam alvum, involuntarie dejiciuntur; vomitus serius aut ocius supervenit. Hæc quidem sunt, quæ ordinarie observari solent; superveniunt tamen et nonnumquam maxime stupenda, lateris scilicet unius convulsio, alterius paralysis; dyspnœa et læsiones variis in partibus; hepatis abscessus, pulmonum, lienis; convulsiones aut stupores artuum.

CAPITIS SYMPATHIA CUM VENTRICULO.

Ex quibus omnibus manifeste colligere potestis quas partes caput sit natum in consensum sui trahere, et hinc stabilire capitis cum his vel illis partibus sympathiam. Si enim vomitus superveniant biliosi, capite læso, quidni et in aliis casibus vomitus superveniant, capite patiente? quum ubi caput suffert et stomachus sufferre debet, ob consensum qui inter has

1 Aph. 5o. sect. 6.

intercedit partes, ut jam ex allatis inferre licet quodque pluribus probabo, ubi ostendam quantum, stomacho affecto, caput affici, condolere ac compati soleat [1].

CUM OCULIS.

Deinde quis ex relatis non videat magnum illum capitis cum oculis consensum? Cui non erit deinceps comperta cerebri cum oculis conniventia, quando, eo inflammato, oculi rubent ac pariter inflammantur? Hinc etiam est, quod sagaciores ex oculis non minimum lumen in praxi haurire soleant. Notum enim est quod, prout oculorum est constitutio, talis sit et cerebri seu potius ejus involucrorum, meningum, et consequenter totius generis nervosi. Hinc est, quod ab oculis audacibus et fixis delirium timeant medici : et plura similia quæ brevitatis causa omitto.

Consensus iste præcipue contingere videtur ob tunicam adnatam seu duram, quæ duræ matris videtur esse propagatio. Ejusdem videtur fuisse sententiæ Ettmullerus dum sic loquitur : « Hæ ipsæ (oculorum scilicet) membranæ con-
» nexionem habent cum cerebri membranis :
» hinc fit, ut in gravi ophthalmia simul capitis
» dolor, si non pulsatorius, tamen contractivus
» percipiatur. Item patet quare contusionibus

1 Vid. Broussais, Prop. 118.

» cranii et læsionibus membranarum cerebri in-
» terdum superveniant ophthalmiæ, id quod sæ-
» pius observatum fuit in Xenodochio Patavino,
» ubi, post capitis contusiones, septimo vel
» undecimo die supervenientes ophthalmiæ vel
» fluxus oculorum cum eorum rubedine signa
» imminentis mortis fuere; quoniam innuerunt
» jam factam inflammationem cerebri membra-
» narum, et exinde secutam ejus gangrænam et
» necrosin. » Nam, ut ait Ettmulleri filius, in libris quos, licet multum degeneres, nomine patris edi curavit, « quum membrana cerebri
» dura comitetur nervum opticum usque ad ocu-
» lum et ibidem tunicam sclerotidem constituat,
» ob id frequenter in graviori capitis dolore ipsi
» etiam oculi inter se dolere solent; imo quum et
» palpebræ oculorum sint continuationes pericra-
» nii, hinc et hoc affecto et palpebræ afficiuntur.»

Hæc, puto, sufficiunt, ut cerebri cum oculis commercium palam fiat. Addite tamen etiam unum, quod ob animi passiones, quæ præcipue agunt in cerebrum et, mediante eo, in alias corporis partes, contractio fiat tunicarum oculi, et hinc illæ lacrymæ.

CUM AURIBUS.

Pergamus modo in ulterius. Ex aurium tinnitu, imo auditu abolito, concomitante capitis prædictas læsiones, colligere potestis qualis sit condolentia inter cerebrum et aures; quomodo

noxa unius alteri communicetur; et quomodo ex hoc cognito consensu possitis feliciores esse in cognoscendis, prævidendis, ac curandis morbis. Evidentem hujus sympathiæ rationem adfert Baglivus : «Ipsa tympani auris, inquit, mem-
» brana, ut nuper detectum est, ex interna sui
» parte dura vestitur meninge; parte vero ex-
» terna, propagatione cutis membranacea mea-
» tus auditorii. Et ob id dolores aurium inflam-
» mationesque ex interna parte crudeles esse
» solent, horrendi atque lethales; si vehementes
» fuerint, unius die spatio interimunt ac jugu-
» lant, tracto statim in consensum cerebro per
» dictam meningis in auribus propagationem.»

CUM LINGUA.

Quid dicam de aphonia et voce intercepta? Possem hic recurrere ad nervos recurrentes, qui si nimium crispati ac initio quasi strangulati sint, vocem intercipiunt perinde ac si abscindantur. Verum alium explicandi modum mihi suggerit Bausner, dum ostendit duram matrem tunicam seu membranam palato, faucibus labiisque continuatam, œsophago largiri consequenter et linguæ; quo fit ut, convulsa dura matre, pariter convellantur lingua ejusque musculi, et hinc subsequatur loquelæ abolitio. Spectant huc, ut ait Bohnius, *de renuntiatione vulnerum*, pustulæ in lingua ex sphacelosa cerebri corruptione exsurgentes et, vel cum stupore et aphonia,

vel cum partis appositæ convulsione, per experientiam Paræi, lib. IX. cap. 8, mortem inducentes.

Prout ex ante dictis videtis deductum ac stabilitum harum partium cum capite consensum, sic et aliarum partium, utpote pectoris, abdominis etc. cum eo sympathiam derivare licebit. Ego vero probationibus ulterioribus referendis hic supersedeo, ne cramben bis coctam postea apponere cogar, dum agam de consensu singularum partium, ubi primo incumbet ostendere earum cum capite consensum. Quare, licet hic capitis consensum pluribus non probem, non est quod desint experimenta et demonstrationes, sed quod illa in proprios suos tractatus et capita reserventur.

CUM HEPATE.

Antequam tamen hoc concludam caput, visum est nonnulla huc adferre de capitis cum hepate, et artubus consensu. Nihil frequentius in praxi occurrit quam capitis afflictionibus supervenire hepatis abscessus; quorum exemplis auctorum libri pleni sunt: apud Paræum lib. X. cap. 12, lib. XVI. cap. 49; apud Ballonium lib. de convuls.; apud Pigræum lib. IV. cap. 8, et apud plures alios, qui mentionem faciunt abscessuum a levioribus etiam capitis vulneribus ortorum, at lethalium tamen, licet deficientibus jam gravioribus symptomatis præcipue super-

veniente die tertio febri, ut testatur Stalpaert Van der Wiel, qui eodem loco in scenam producit auctores inter se dissentientes unde ille abscessus et quomodo generetur; inter quos adducit Petrum Marchet, qui se sæpius observasse scribit, quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte postica potissimum et laterali materiam purulentam delabi ad partes inferiores. Ejusdem sunt sententiæ plures alii auctores non ignobiles. Ego, licet non velim negare, quin materiæ purulentæ ex capite ad pectoris et abdominis viscera uti et cavitatem metastasis contingere queat; tamen, quum constet etiam levibus vulneribus capitis, ubi certe est defectus materiæ purulentæ quæ transferatur a capite ad illas partes, hos contingere hepatis abscessus, deinde quum ordinarie illud sit lethale, et præcipue quum nullum sit dubium, quin per consensum possint in partibus sanis suboriri non modo dolores, inflammationes, sed et abscessus, licet materia nulla ab una parte transferatur ad aliam, ego, inquam, potius cum Pigræo statuo abscessum hepatis originem ducere unice ex consensu. Qui hac de re plura desiderat adeat Van der Wiel, citato loco, ac Van Mekeren.

CUM ARTUBUS.

Superest ut addam de mirabili illa vi cerebri, aut potius ejus membranarum in producendis morbis in remotissimis etiam partibus. Refert

Jobus Van Mekeren, chirurgus non ignobilis, quod ex vulnere inflicto capiti penetrante cranium ac membranas cerebri, imo ad digiti longitudinem cerebrum ipsum, ita ut terminaretur in ventriculo dextero, successerit stupor cruris cum frigiditate manus, initio sine aliis notabilioribus symptomatis : ex quo auctor ille dicit se collegisse latere anguem in herba ac cerebrum affectum prout et experientia postmodum docuit. Huc accedat Bohnius *de renuntiatione vulnerum* agens, qui narrat gangrænam in pollice pedis ex levissimo capitis vulnere credito in adolescente contigisse atque in sphacelum lethalem abiisse, in cujus calvaria præter fissuram exilem sanguis purulentus inter binas meninges reperiebatur.

Hæc sufficiant ut ostendatur, cæteras omnes corporis partes subito etiam in capitis noxæ consensum trahi, idque quia membranæ omnes ei continuantur vel, ut etiam cum Barbet [1] loqui licet, ex eo quod pectoris imique ventris interiora tegant meninges, mutuique consensus eorum vel maxima causa sint. Ordo jam requireret ut de consensu aliarum partium capitis speciatim agerem, ut sic descendendo per alios duos ventres ad artus perveniatur et porro omnium partium sympathia ordine examinetur, nisi vocaret me ventriculus, cujus tantus est

1 In epist. quadam ad Job. V. Mek.

in corpore humano consensus, quantus ullius alterius partis; præcipue quum illius causa hæc a me potissimum suscepta sit materia.

CAPUT QUINTUM.

DE VENTRICULI GENERALI CONSENSU CUM OMNIBUS MACHINÆ HUMANÆ PARTIBUS.

Justam corporis humani ideam habuisse mihi videntur veteres, nec ita peregrini fuisse circa ea, quæ in hac artificiosissima contingunt machina, ac vulgo putetur, dum stomachum ut regem totius corporis salutabant. De quibus optime cecinit Serenus Sammonicus :

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, nili vera ratione videntur.
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra ;
Et contra, ejusdem infirmantur cuncta dolore.
Quin etiam, nisi cura juvat, vitiare cerebrum
Fertur, et integros illinc avertere sensus.

Certum equidem est, quod ad minus stomachus considerandus sit, prout ait Hecquetus, magnum illud Parisiensium decus, ut unum ex præcipuis organis totius machinæ animalis, ob consensum quem alit fovetque cum omnibus partibus quæ machinam constituunt ; quum constet, ut idem laudatus habet auctor [1], naturam ejus esse talem

1 De purgand. Medicina.

ac societatem cum reliquo corpore, ut stomacho totum corpus annuat aut compatiatur. Quidquid anxii tolerat stomachus aut laboriosi, cum omnibus partibus communicare deprehenditur; hinc a cardialgia totum corpus considere videas : vicissimque omnibus, quæ visceribus cæteris accidunt, vel ipsi corporis habitui condolet. Recte igitur cum Hippocrate licet dicere: ventriculum animantis magnum omnium fontem esse, qui non modo omnibus dat sed et ab omnibus accipit, quique maris facultatem habet. « Magnus, inquit, est omnium fons, maris facul-» tatem habet, omnibus dat et ab omnibus acci-» pit. » Ad ejus enim normam omnes alias dirigi actiones diceres : languido stomacho, languent omnia ; eo vegeto, vigent omnia. Unde quod Hippocrates de corde dixit, nempe quod teneat habenas, quibus totum corpus regit, idem de ventriculo dici posse videtur, quum ejus quasi muneris esse videatur dirigere omnes alias functiones, quæ mutuantur ab ipso quasi perfectionem suam.

Quare, quum ventriculus, ut ait Bausner, tantarum in corpore ægritudinum sit summus artifex, ac tanta malorum ilias continuata serie actionem ventriculi læsam insequatur, non modo quod chylus inde resultans vitiosus totam inficiat deinde massam sanguineam, sed quod noxam ipsi inflictam totum percipiat genus nervosum, conabor ex auctoritatibus et experientiis

summorum in arte virorum sympathiam illam ita stabilire, ut in praxi diligentius, quam fieri soleat, ad eam attendere possitis.

Quare hic, dum egi de consensu partium generali, attuli experientiam eorum qui ulcera in cruribus aliisve in partibus gerunt, qui, si generosum bibant vinum, eodem vix ingresso, plagam inflammari sentiunt. Quod unicum sufficere deberet, ut sympathia partium sufficienter cognoscatur. Verum non desunt alia exempla, quæ praxis quotidiana subministrat. Quot enim exoriuntur tumultus in toto corpore? Quot mala, in partibus etiam remotissimis, unico stomacho affecto, cruditatibus obsito, venenis agitato, humoribus acribus irritato, quæ in instanti cessant, stomacho ab illis liberato? Quorum veritatem ut vobis probem, primo ostendam quæ soleant excitari symptomata a venenis assumptis, quorum tamen præcipua, si non sola, sit actio in ipsum ventriculum. Deinde aliis experientiis practicis illa priora confirmabo.

AB ACTIONE VENENORUM STOMACHI CONSENSUS ELUCIDATUR.

Quæ soleant exoriri symptomata ab assumptis venenis, dum ea etiam in stomacho subsistunt, idque unice per vellicationem, erosionem tunicæ ejus nerveæ, optime delineavit Wepferus, in Dissertatione sua doctissima *de cicuta aquatica*, in qua enarrat symptomata quæ fuerunt suborta a cicutæ comestione. Pueri duo

et sex puellæ satis avide devoraverant ac deglutierant, una plus alia minus, radices cicutæ aquaticæ. Puer unus annorum sex, capillis albis præditus, tener, vegetus tamen, paulo post conqueritur de præcordiorum dolore et, vix verbum effatus, humi prostratus urinam magno impetu ad viri magnitudinem eminxit; mox terribili aspectu cum omnium sensuum abolitione convulsus fuit; os arctissime clausit; dentibus stridebat; oculos mire torquebat; sanguis ex auribus promanabat; circa præcordia tumidum quoddam corpus, pugni virilis magnitudine, patris afflicti manum et miserandi pueri præcordia, maxime circa cartilaginem ensiformem, validissime feriebat; singultiebat; vomiturus quandoque videbatur; nihil tamen ore arctissime clauso ejicere poterat; artus mire jactabat et torquebat; sæpius caput retrorsum abripiebatur totumque deorsum incurvabatur in arcum, ut puellus subtus per spatium inter dorsum et stratum inoffense repere posset; cessantibus convulsionibus per momentum, matris opem imploravit; mox, pari ferocia illis redeuntibus, nulla vellicatione, nulla acclamatione, nullove alio ingenio excitari poterat donec, viribus deficientibus, expalluit et, manu pectori admota, exspiravit. Post obitum imprimis abdomen et facies intumuerunt absque livore, nisi pauco circa oculos conspicuo. Ex ore cadaveris usque ad horam sepulturæ spuma viridis lar-

gissime emanavit, ut, quamvis sæpius a patre mœstissimo detersa fuerit, mox tamen nova succederet. Historia septem aliorum apud auctorem videri potest. Omnes, quotquot comederunt, convulsiones horrendas perpessi sunt majores minoresve, prout plus vel minus devoraverant. Illi tamen, quibus fuit excitatus vomitus, tam per exhibitionem Theriacæ in aceto solutæ quam foliorum tabaci, evaserunt ita, ut postmodum etiam nihil senserint. Sed, quod maxime mirandum, post convulsiones una puellarum horis viginti quatuor, ut mortua, lecto decubuit, brachiis compositis et pedibus quietis; dentibus tamen subinde stridebat; novem horis puellam plane mortuam parentes crediderant, facies enim cadaverosa et respiratio, ipsorum opinione, insensibilis erat, extremaque frigebant. Post horas viginti quatuor ad mentem rediit : at diu, ob linguam morsu vulneratam, commode nequit edere diuque de præcordiorum dolore querebatur; obambulavit quidem, sed delassata : postmodum bene valuit.

Ex his historiis auctor dicit se didicisse (et nos discere debemus) citra ullum apparatum humorum a solo venenato vegetabili aut minerali, intra ventriculum admisso, etiam antequam e pyloro ulterius pergeret, hujusmodi tumultus concitatos fuisse, seque comperisse, venenata affligere acrimonia quadam seu aculeis, qualitate scilicet manifesta et tactili, membranam

nerveam [1], seu adæquatum tactus instrumentum, atque hanc ad corrugationem invitare seu sollicitare fibras circulares et rectas ventriculi, ac tandem universum genus nervosum in consensum rapere.... deprehendi quoque, inquit, venena virulentiam suam exseruisse citra ullam spirituum dissipationem, corruptionem, aut alium depravandi modum et citra sanguinis coagulationem. Mens igitur Wepferi est, ventriculi a cicuta læsiones omnia ante enumerata induxisse symptomata, toto systemate nervoso in consensum rapto seu, ut Helmontius loqueretur, inde Archeo furioso reddito, licet nihil adhuc venenatorum effluviorum sanguini permixtum fuerit.

Hancque suam opinionem non futilibus argumentis comprobavit. Sic enim nulli dubium esse potest, quin venenum virus suum primo in stomacho exseruerit: quum enim, ut ait Wepferus, ibi primo detineatur ibique crudelis hostis aliquandiu versetur, vix fieri potest, quin mature noxam perciperet ob insignes nervos quibus non solum orificium sinistrum sed quoque pylorus donatur. Certe omnes de præcordiorum dolore primo conquerebantur, imo sentiri poterant præcordia a tumore magna vi percuti; unde constat exordium læsionis in ventriculo

1 Satis sit semel monuisse membranam illam esse villosam seu, ut hodie vocare solemus, mucosam.

productum fuisse, in quo tota ingestæ radicis moles detinebatur. Quod etiam confirmavit vomitus subsequens non inanis, quum, rejectis radicibus, maxime sublevati fuerunt, in tantum, ut illi, qui statim ejicere omnes poterant, salvi essent ac incolumes et integre convaluerint. Quare, ait Wepferus, in præfatione, persuadere mihi nequii e radicibus succum elicitum in ventriculo, sanguini confusum et ad cerebrum delatum hos tumultus instituisse, quod, rejectis radicibus, vel aliqua menda in genere nervoso permansisset, quum semel hujus generis venenata cerebro communicata non tam cito deleantur aut evanescant. Quomodo vero convulsiones universales, pergit sedulus ille naturæ observator, seu epilepsia solummodo ventriculo afflicto fieret, diu hæsit aqua; multifaria versabam animo; tandem rem experimentis peragendam indicavi.

Quæ profecto feliciter ipsi successerunt, quum sententiam ejus experimenta, in brutis instituta ac tentata, omnino illustrarunt. Nam postquam brutis canibus v. g. vel lupis cicutam exhibuisset aut aliud quodvis venenum acre, corrodens, non ultra dimidiam horam symptomata spasmodica sæpe differebantur, quo temporis intervallo vix quidpiam de veneni particulis dissolutis ad massam sanguineam, et hinc ad cerebrum pertigisse prorsus, credibile est; nam in cadaveribus nondum dissoluta, sed intacta reperiebantur. Ven-

triculus vero plane constrictus et corrugatus erat, continens radices integras, non comminutas nec emollitas; in fundo ventriculi, ubi jacebant frustula radicis, maculæ rubræ livescentes apparuerunt. Ratio, quare in ventriculo hærere debuerint, in promptu est : fibris circa utrumque orificium constrictis, omnis omnino exitus ipsis intercludebatur; fibras vero taliter fuisse affectas, ipse indicat præcordiorum tumor, qui non erat nisi ipse ventriculus, qui in hanc molem exsurrexerat, quod non modo radicibus, sed et flatibus et liquoribus porta occlusa esset.

Hisce ac plurimis aliis experientiis, quas hic recensere nimis longum foret, convictus Wepferus venenatam cicutam, unice afficiendo stomachi membranas, lugubrem hanc excitasse tragœdiam, conatur explicare qua ratione symptomata omnia in remotis potuerint excitari partibus. Quæ explicatio quum instituto nostro maxime sit accommodata, eam hic adjungere operæ pretium duxi.

VERTIGINIS EX VENENIS SUBORTÆ RATIO.

Primo obvium, quod in remotis se manifestat partibus, symptoma est, vertigo et caligo oculorum; nam simul atque virulentia cicutæ ad tunicam nervosam penetraverit, vertigine correpti fuerunt; quam potius sensui hujus membranæ adscribo, inquit, quam succo cicutæ sanguini admixto, quum similem vertiginem

nonnumquam bilis in ventriculum effusa excitet, qua vomitu rejecta, a molesta illa affectione liberatur patiens; sanguini vero permixta nullam inducat caliginem, quod frequentia ictericorum exempla probant, qui rarissime vel numquam, ob solam bilem sanguini confusam, sano ventriculo nutant.

RATIO SINGULTUS

Singultum equidem fateor, ut alio dicit loco, præcipue a diaphragmate edi; at quoque non negabitur frequentissime diaphragma ad hunc motum incitari, et præcipue circa stomachum, ab ipso ventriculo afflicto. Singultus sæpe supervenit cibis acrioribus comestis : novi, inquit, aliquot quibus piper hoc symptoma produxit. Oritur non raro a nimio infarctu; cessat, vomitu rejectis ventriculum molestantibus, aut ab assumptis illecebram demulcentibus. Videri potest ulterius auctor.

RATIO CONVULSIONUM.

Convulsiones frequentissime suboriri per totum genus nervosum, irritatione tantum subsistente in ventriculo, tot tantisque evicit experientiis, ut de eo nemo dubitare amplius possit. Sed, ut explicet quà id fiat ratione, dubius hæret, nescius quo se vertat : præsidem fingit systematis nervosi, qui indignabundus et prope furiosus varii generis motus convulsivos insti-

tuat. Excogitat Archeum qui, fessus multis spiritibus deperditis, a tumultibus cessare cogitur, licet nihil exhibitum fuerit quod eum demulceret. Prout fieri dicit, dum inter vehementissimos motus spasmodicos induciæ quædam non infrequenter conceduntur, ut contigit in casibus prioribus enarratis et in caniculo, cui integras deglutiendas exhibuerat radices, quamvis illæ in ventriculo persisterent nec irritare desinerent. Et prout observare licet principio nervorum propius afflicto, ut in epilepticis, quibus sæpe longæ feriæ a paroxysmo conceduntur, imprimis si paroxysmi vehementius affligant. Hæ, credo, Wepferi rationes hujus ævi palato minus sapient; quare conabor postea plausibiliores substituere.

RATIO SPUMÆ ORIS.

Pergamus ad alia symptomata. Vomitum muci spumei, epilepticis et convulsivis affectionibus familiarem, attribuit auctor [1] conquassationi muci copiosi, ab acrimonia venenatorum ex membranæ nerveæ vasis eliciti, quæ sequebatur constrictiones fibrarum ventriculi et ejus successiones in vomitu. Dum saliva copiosissime spumescens ex ore eructatur, non id adscribendum putat vellicationi cuidam circa oscula ductuum salivalium in ore, sed irritationi ni-

1 In præfatione.

miæ in ventriculo et gula; partes, in faucibus communi tunica nervosa gaudentes, corrugatæ aliquomodo fuerunt, non secus ac vomitum quandoque salivatio præcedere solet.

RATIO URINÆ EXCRETIONIS.

Excretio urinæ, quam humi prostratus ad viri altitudinem a deglutita cicuta eminxit puer, de quo ante, non dicenda est contigisse ex eo, quod vesica a cicuta, vi quadam diuretica, fuso sero adimpleta fuerit, sed potius ex consensu, qui ventriculo cum vesica intercedit; nam parum vel nihil omnino liquoris cicutæ succo imbuti ad massam sanguineam pervenisse, satis probabile est.

RATIO SYNCOPES ET RESPIRATIONIS INTERCEPTÆ.

Respirationem interceptam ac syncopen attribuit spasmodicis convulsionibus, fibris cordis ut et partium respirationi dicatarum aliquomodo adstrictis, unde sanguinis propulsio impedita fuit; minime vero spirituum animalium dissipatione hæc contigerunt, quum symptomata hæc suffocationi ab utero persimilia exstiterint: qua de re videatur amplius Willisius *de morbis convulsivis*. Nec infrequens est fæminis, hoc affectu detentis, respirationem sæpe pluribus horis supprimi; unde legibus cautum, ne ante quadraginta octo horas hoc symptomate defunctæ sepeliantur. Liceat igitur statuere nervos

pulmonicos et diaphragmatis quoque convulsos fuisse, et totius generis nervosi calamitati involutos. « Et, ut in re obscura aliqua dicam,
» ait auctor maxime sincerus, videtur cor, gra-
» vius afflictis ventriculo et gula, quia eodem
» nervorum pari gaudet, quasi attonitum reddi
» ac constrictionis quasi oblivisci; unde ab af-
» fluente indesinenter sanguine auricula dex-
» tera ejusque ventriculus nimium distendun-
» tur, fibræ suum tonum amittunt, tandemque
» sanguinem enervatæ ulterius propellere ne-
» queunt. Videmus in syncope, quæ cardiaca
» vocatur et cujus causa in ventriculo latere cre-
» ditur, idque non sine verisimilitudine, pri-
» mum cordis motum imminui, unde extrema
» frigescunt et expallescunt; postea prorsus ces-
» sare ægrosque instar emortuorum prostratos
» jacere, imo, nisi succurratur, vitam amittere
» prorsus : vires autem cor recuperare spiriti-
» bus animalibus, seu motus instrumentis, vel-
» licationibus, frictionibus, aliisve irritamentis
» excitatis, refocilatis, et tandem causam in ven-
» triculo demulcentibus et auferentibus. »

AC MORTIS SUBSEQUENTIS RATIO.

Ex jam dictis causa mortis facile deduci potest. Non videtur equidem ea ponenda esse in narcosi aliqua, quum convulsiones, ad extremum vitæ durantes, nullius stuporis indicium

sint : nec accusari potest grumefactio sanguinis, quum frequentissime, teste Wepfero, post mortem sanguis in ventriculis cordis et auriculis, uti et in vasis majoribus, fluidissimus manserit nec vel minimus grumulus ullibi apparuerit. Causa mortis est potius cor in motu suo penitus enervatum; quod partim factum fuit, dum ob fibrillas nerveas vasis majoribus, aortæ præcipue et pulmonibus, circumjectas, constrictas, sanguinis expulsio impeditur; partim dum a sævissimis et frequentissimis convulsionibus spiritus animales dissipati sunt : ordinarie enim ante mortem non solum omnes musculi languent, sed etiam cor ipsum in paroxysmo et post eum a motu cessat, reditque; quo efficitur, ut tandem sanguinem plane non amplius propellere valeat, ut testantur ventriculi, auriculæ cordis, et venæ omnes, etiam pulmonicæ, sanguine turgidæ.

UNDE SANGUINIS A VENENIS COAGULUM.

Ex his patet, si sanguis coagulatus inveniatur post mortem, id non adscribendum particulis veneni ipsi admixtis, sed potius, quod in vasis interceptus ac quasi strangulatus coire debuerit, vel, ut ait Wepferus, quod, corde a præviis convulsivis motibus ita enervato, ut sanguinem ulterius promovere nequiverit, sanguis in grumum coalescere debuerit, non propter vim aliquam

coagulantem cicutæ, quum potius contraria ac fundens ipsi insit, sed ob motum cordis cessantem, et hinc sanguine, ut alias in sanissimis fieri solet, sponte ad coagulationem tendente. Hinc constat sanguinem non infici a venenis, ut vulgaris est opinio, prout et, referente Wepfero, clarissime probat Redi ex eo, quod feræ venenatis sagittis interfectæ innoxie comedi queant.

Statuatur igitur ut certum, mortem induci, quod cor a sanguinis copia obruatur, idque quia fibræ ipsius, per multos et frequentes convulsivos motus tandem delassatæ et enervatæ, sanguinem a se propellere nequiverint; vel, quia nerveæ fibrillæ, vasa sanguifera circumligantes, ea ita coarctaverint, ut consueta sanguinis moles pertransire non potuerit. Hæc est vera ratio cur in omnibus suffocatis cor, item vena cava ascendens, et alia vasa majora ordinarie sanguine turgidissima inveniantur. Hæc, ex Wepfero huc translata, evidentissime mihi videntur confirmare venenorum præcipue actionem esse in stomachum, et ab eo affecto reliqua omnia deducenda esse symptomata.

VENENORUM ACTIO PROBATUR AUCTORITATE PLURIMORUM ILLUSTRIUM MEDICORUM.

Audiamus tamen et alios ejusdem sententiæ fautores, inter quos non infimum locum obtinet Melchior Fricci in tractatu suo, *Paradoxa de*

venenis, in quo ipsius scopus est, probare experientiis, rationibus ac auctoritatibus venena, interne et externe usurpata, non esse semper noxia, sed quandoque præstantissima remedia, si a docto scilicet medico in ea adhiheantur quantitate, qua nocere non possint. Fundamentum præcipuum istius assertionis est, venena maxime in partes solidas et nervosas corporis vim exercere, irritando scilicet, vellicando, singultus, diarrhœas, convulsiones, vomitus, tormina, et dolores excitare; vel, vim narcoticam iis insinuando, sopores et deliria progignere. « Cæte-
» rum, ait, tantum abest, ut sanguinem aut
» humores inficiant vel corrumpant, ut magis,
» si moderate usurpata fuerint, vitia eorum cor-
» rigant labemque eorum tollant. Nam non adeo,
» pergit, ut communiter creditur, per se spiri-
» tibus vitalibus infensa sunt; sed tota eorum
» vis deleteria in eo consistit, quod inimicis suis
» et acribus aculeatisque corpusculis, quibus
» instructa sunt, fibrillas nervosis in partibus
» sensu præditas graviter percellant, vel quod
» suis particulis fumosis, quas in stomacho vel
» aliis corporis partibus, calore resoluto, a se
» spargunt, cerebrum oppleant easque partes
» stupefaciant. Falsum igitur est, ait, quod ut
» plurimum statuitur, venena sanguinem coa-
» gulando, resolvendo, humores serosos præci-
» pitando vim suam exercere. Si quis a sumpto
» napello aut simili veneno moritur, non moritur

» quia napellus aut aliud venenum sanguinem
» coagulaverit, vel resolverit, vel alio modo af-
» fecerit; sed quia illa venena ventriculum aut
» intestina corroserint, inflammarint, eorumque
» fibras nervosas irritaverint. Atque ita se rem
» habere præter plura alia probat etiam, quod
» venena, imprimis magna dosi assumpta, sta-
» tim, atque, et antequam ad massam sangui-
» neam pervenerint, suam truculentiam de se
» prodant, atque tragœdiam suam in ventriculo
» quasi in suo proprio theatro ludant; id quod et
» symptomata ab iis excitata, ut vomitus, sin-
» gultus, convulsiones, dolores, sopores, stupo-
» res non tam massam sanguineam corruptam ac
» infectam, quam genus nervosum afflictum in-
» dicant; item quod, eliminato per vomitum ve-
» neno eoque e ventriculo ejecto, statim sympto-
» matum sævitia mitigetur, vel plane tollatur.
» Hujus rei explicationem sine dubio adjuvabit,
» si nervi non ut canales spirituum, sed ut cor-
» pora solida e suo principio, cerebro, et ejus me-
» ningibus orta, atque ab eo ad omnes corporis
» partes disseminata considerentur, quorum uno
» aliquo a veneni particulis acribus vel irritato,
» facile tota eorum compages in motus anomalos
» concitari potest. »

QUA RATIONE VENENA POSSINT ESSE MAGNA REMEDIA.

Habetis opinionem auctoris celeberrimi doctrinam nostram de consensu partium maxime con-

firmantem, quum sole clarius ostenderit cum Wepfero, a venenis assumptis non alia induci symptomata, quam quæ per consensum ventriculi excitentur. In eo mihi errasse videtur, quod, ut virtutem venenorum et vim eorum in curandis morbis explicaret, ad eorum in sanguinem immediatam actionem recurrere voluerit. Si venena, in majori copia exhibita et in ventriculo existentia, spasmodicas contractiones mortemque subsequentem inducant, ea in minori exhibita dosi, oscillatorios motus lenes ac assopitos excitando, sanguinem viscidum, lentum ac coagulationi proximum sunt nata dissolvere. En modum quo explicari potest virtus medicatrix venenorum. Qui hanc etiam magis illustratam desiderat sententiam, legat doctissimum Tractatum *de venenis* a Lindero compositum, cujus caput primum sic incipit : « Corrosiva et acria venena sunt, quæ intro » admissa et deglutita ventriculum et tubulum » intestinalem pro majore sua parte vel minore » acredine particularumque suarum vel acu- » leata vel acuminata figura, vel ancipiti spicu- » lorum acie, per parvam superficiem pungunt, » fodicant, irritant, secant, corrodunt, lanci- » nant, inflammant, excoriant atque exulcerant. » Irritatis ergo sic ventriculi viscerumque nerveis » fibris, vel singultus, vel vomitus, vel febris, » vel spasmi convulsivi et succussiones oboriun- » tur, reliquis scilicet systematis nervosi funicu- » lis vasorumque elasticis filamentis, ex simili

» nempe principio nervoso, prout reliqua sta-
» mina omnia partium omnium, derivatis, in
» eumdem anomalicum consensum tractis. »

Huc etiam spectant quæ Valentini in *Nosocomio suo academico* de maniacis ab esu solani refert, in quo inter alia dicit, plurima deliria a ventriculo ex professo egregie ostendisse quemdam Gerershemium, in Disputatione inaugurali, Francofurti ad Oderam, sub præsidio D. Doctoris Irænei Vehrii, imprimis ea quæ a venenis etiam vegetabilibus oriuntur, quæ ipsum ventriculum primo omnium afficere solent. Id ipsum egregia observatione et propria autopsia confirmavit alio loco idem Valentini [1] ubi in binis gregariis, ex cicuta devorata demortuis et a se cultro anatomico subjectis, escharam reperiit a cicuta ventriculo impressam. Similiter in maniacis ab esu solani furiosi, ait idem auctor, venenum in ventriculo adhuc hærens delirium intulisse, exinde constat, quod symptomata illa, quæ baccas illas devoratas fuerunt subsecuta, vix effluxa horula supervenerint, qua ultra ventriculi limites transgredi nondum potuerant; ut adeo ventriculum a causa morbifica immediate et per essentiam, cerebrum vero non nisi per consensum affici, jure dixero [2], qui in admirandis illis plexibus stoma-

1 In Epist. ad Widtium, de nova matricis et morbosæ mulieris anatome.

2 Vid. Broussais, Prop. 247-258.

chi nervosis, a Willisio Tab. XI. detectis, radicatus est. An non per eumdem consensum dici possunt cujusdam chirurgi (qui [1] per errorem aquam fortem biberat) omnia membra ita contracta fuisse et corrugata ut, qui ante justi viri staturam habuerat, post vix pigmæi vel septennis pueri obtinuerit? Hæc omnia confirmat Baglivus, dum ostendit venena agere rodendo, exsiccando, convellendo, crispando, pungendo; et hinc momento temporis communicata a fibris stomachi ad fibras singularum partium vehementissima oscillatione et venefica crispatura, confestim dolores, vomitus, sitim, sudores frigidos, tumores corporis, liquidorum etiam currentium subitaneas concretiones oriri, et sæpe mortem supervenire derepente.

QUARE ITA FUSE HIC DE VENENIS.

Fusius venenorum in corpus actionem tractare hic volui, quod, ea bene intellecta et probata, facile intelligatur et sufficienter probetur consensus ventriculi cum omnibus et singulis corporis nostri partibus, et simul videatur quam frequenter morbi origo et fomes in unico possit latere stomacho. Si valet enim analogia de morbo ad morbum, prout valere debet, quis non videat, sicuti venenum agit in stomachum et per eum in remotas quasvis partes, sic et alia ipsum vellican-

1 Teste Jacobæo, in actis Hafniensibus ann. 71 et 72. obs. 115.

tia agere posse, imo frequentissime agere? Hoc manifestum in febribus malignis, in inflammatione ejus, et pluribus similibus casibus, uti ostendam, dum agam de febribus ortis ex ventriculo.

MAGNÆ SENSIBILITATIS VENTRICULI TESTIMONIA.

Superest, ut consensum, quem ex modo operandi venenorum demonstravi, experientiis etiam practicis ulterioribus stabiliam. Non attingam tamen probationes evidentissimas, quas deducere possem ex vulneribus et ulceribus stomachi, quum illarum pleni sint auctorum libri. Venio ad magnam ejus sensibilitatem, quæ vel ex eo conspicua sit, quod leve vulnus orificio stomachi inflictum soleat esse lethale. Bartholinus refert ex pugno, stomacho violentius applicato, subortam esse mortem. Similia habet exempla Helmontius [1]: Studiosus quidam robustus alterum mensæ assidentem pugno percutit circa stomachi orificium, qui statim corruit spumante ore, erectusque in sedem, confestim pulsu orbatus et ante lectas litanias Lauretanas toto corpore gelidus. Auriga pugione circa os stomachi transfossus, statim spumante ore, omni quoque orbatus pulsu et calore moritur. Huc referri merentur symptomata horrenda, ex deglutita acicula suborta, quorum meminit Hildanus [2]. « Quarto, inquit,

1 De sede animæ.
2 Lib. prim. obs. 34.

» tantummodo a deglutitione die, primo in fundo » ventriculi, mox quoque circa pylorum exori- » tur dolor et cruciatus adeo vehemens et acer- » bus, ut dies noctesque exclamare et ululare » coacta fuerit. Ego, ait, sexto die a morbo vo- » catus inveni ipsam phreniticam cum ardentis- » sima febri, lingua arida, vultu inflammato, » mente adeo captam adeoque furiosam, ut ne- » minem agnosceret, nec cibum nec potum ex- » posceret; convulsiones colli, brachiorum, cru- » rum maximæ et horrendæ aderant; aliquando » se ex una in aliam partem lecti tali impetu » projiciebat, ut tres viri quantumvis robusti vix » illam tenere possent. Exclamabat, ululabat, et » manibus ventrem non aliter, quam si ipsum » dilacerare voluisset, tractabat; ut verbo di- » cam, videbatur potius a dæmone obsessa quam » morbo laborare. Quum vero, aliquando per » horam integram aut circiter, ita vexata aut » convulsionibus horribilibus cum incredibili » cruciatu ex una in alteram partem agitata et » fatigata esset, conquiescebat paulisper (adver- tite hic, quæso, quam natura ubique sibi sit si- milis, quum hic eadem videas quæ producta fuerint a venenis), et tamquam semimortua ja- » cebat. Rursum et repente priora symptomata » eam invadebant. Ego interim, inquit, jusculis » pinguibus castratorum, item cremore hordei » mundati, quibus admiscebam butyrum recens » et oleum amygdalarum dulcium, ptisana ex

» lacte amygdalato corpus continuo nutriri cu-
» ravi. Præterea ne excrementa, in parte aliqua
» intestinorum indurata, aciculæ impedimento
» essent, leniter eam purgavi. Sic divino favore
» aciculam in illo cruciatu tandem decimo quarto
» die ejecit. Postea sedati sunt dolores ac reliqua
» symptomata, ita ut brevi pristinæ sanitati re-
» stituta fuerit. »

PROBATUR CONSENSUS EXEMPLIS PRACTICIS.

Sed horum exemplorum satis sit. Transeamus ad ea quæ praxis quotidiana subministrat. Primo loco sit Historia, quam Valentini *in Praxi sua infallibili* refert : « Ephorus D. Baronis de Gers-
» dorf, conquerebatur de insigni debilitate totius
» corporis, anxietate et dolore capitis tensivo,
» item de stomacho, monstrans principia nervo-
» rum : omnia per consensum ventriculi oriri
» suspicatus, dedi vomitorium ex tartaro emetico
» et paregoricum tempore nocturno, mane sa-
» nitati restitutus fuit. »

CONFIRMATUR METHODO CURANDI MORBOS INFANTILES.

Celeberrimus ille in Anglia practicus Harris, in Tractatu suo utilissimo *de morbis acutis infantum*, practicis suis observationibus confirmat morbos quoscumque, infantilem ætatem invadere solitos, dependere a lacte in ventriculo eorum ab acido coagulato, sive a cruditatibus acidis in stomacho stabulantibus. Morbos enim omnes in-

fantiles, non modo vomitus, ructus, flatus, borborygmos, tormina ventris, dejectiones frequentiores, sed et respirationes læsas, tusses siccas et suffocativas, (Kink-Hoest vocant Belgæ, Galli coqueluche) febres acutas, motus convulsivos et epilepticos ac artuum subsultus tollit et profligat remediis, quæ aciditatem primarum viarum edulcorent et absorbeant, quibus deinde subjungit ea, quæ sic correctam eliminent cruditatem. Vultis breviter audire ejus praxin? Primo aliquot diebus continuis exhibet terrea illa, quæ absorbentia audiunt, in majori tamen, quam ordinarie fieri solent quantitate, ut acidum corrigi queat; deinde leni purgante materiam educit peccantem. Ac sancte testatur auctor nullos, infantilem ætatem aggredi solitos, morbos his non cedere remediis.

Ex hac methodo manifeste patet, morbos illos omnes foveri in tenera hac ætate ab acido primarum viarum, et consequenter tantum oriri ob consensum ventriculi, quum certum sit, absorbentia vires suas non exercere ultra primas vias.

Praxis igitur celeberrimi istius viri confirmat doctrinam nostram de consensu partium, licet ille in scriptis suis eam ubique verbis non expresserit.

Vidit tamen quibusdam in locis sympathiam ac mentionem ejus facit; agens de puerorum importuno potu vini sic loquitur : « Sane vina om-
» nis generis paulo liberalius ingesta, quemad-

» modum et liquores quilibet alii spiritibus re-
» ferti, fermentum naturale ventriculi puerorum
» destruunt, appetitum prosternunt, tunicas
» ventriculi quasi comburunt, instar pergameni
» coram igne nimis arefacti; sed et tunicam ner-
» veam (quod maximi in hoc casu est momenti)
» summopere lædunt atque, mediante hac tu-
» nica, universos corporis nervos labefactant. »
Alio vero loco hæc habet : « Pueri natu paulo
» majores, febrilibus symptomatis tentati, de
» capite affecto plerumque conqueruntur, ejus-
» modi dolorem raro idiopathicum, sed ut plu-
» rimum sympathicum esse, nimirum ex ven-
» triculi et inferiorum partium dyscrasia pen-
» dentem, verisimile quidem videtur. » De pue-
rorum aphthis agens, earum proventum sic
explicat : « Ratio autem, inquit, quare oris
» superficies adeo aphtis producendis faveat,
» quum interim cæteræ corporis partes ulcus-
» culis nullis afficiantur, hæc est : quoniam pel-
» licula est eadem quæ, circumvestiens regionem
» oris per œsophagum, in ventriculum ipsum
» continua serie ejusdem tunicæ exporrigitur ac
» descendit. » Ex quibus manifestum est celeber-
rimo illi viro non ignotum fuisse consensum
ventriculi, quin et ad eum in praxi sua multum
attendisse animumque reflexisse. Baglivus, ex
constanti sua observatione eorum quæ circa
ægros contingunt, collegit omnes fere convul-
siones infantum a stomacho fieri, et secundum

hoc praxin suam dirigebat. Nam ex eo quod tussis infantum fere semper esse soleat a stomacho cruditatibus obsito, stomacho dicit præcipue prospiciendum, non posthabitis tamen pectoris remediis.

Si igitur indubitatum est, stomachi læsionum participes fieri alias partes in infantibus, cur idem in adulta ætate negemus, præcipue quum et experientia suffragetur? Forestus observavit ex lacte, in stomacho concreto, pessimi ominis subsecuta symptomata : « Quum mulier, inquit, » quædam copiose florem lactis seu crema devo- » rasset ac vinum rubrum stypticum superbibis- » set, lac in ventriculo concretum pessima sym- » ptomata intoxicati similia produxit; imprimis » nausea sine vomitione afficiebatur cum ingenti » ventriculi dolore, adeo ut syncope subsequere- » tur et anhelitus præfocatio, ita ut adstantes il- » lam morituram putarent. Quæ simul atque in » vomitum prorumpens lac concretum una cum » vino evomuit, accidentia jam dicta sedata fuere » et sanitati illa pristinæ restituta. » Sed quid observationes ab aliis mutuatas adfero, quum indies nobis occurrant exempla eorum qui, de maximis cordis conquerentes anxietatibus, de pectoris oppressione, capitis gravitate ac doloribus intensissimis, affectibus soporosis, artuum subsultibus ac convulsivis contractionibus, mox ab illis vomitu superveniente liberantur? Sentiunt hi ægri ubi origo mali hæreat, ipsumque

morbi fomitem medicis indicant. Nihil enim communius quam eos audire vomitum votis omnibus expetentes : *ah!* inquiunt, *si modo vomere possem, forem sanus.* Si rogentur ubi malum teneat, se corde dolere dicunt, ventriculum significantes affectum, quum non rustici solum, sed et qui magis illis sapere videntur, ventriculi dolores sic describant.

Ostendit hæc sibi apprime nota fuisse Lommius, medicus Bruxellensis quondam famigeratissimus, dum, in aureo suo Tractatulo *de morborum signis et præsagiis*, agens de convulsione, sic loquitur : « Scire autem licet morbum hunc (con- » vulsionem intelligit) febricitantibus subito sine » ullis præcedentibus signis sæpe accidere, fac- » toque bilis vomitu, protinus conquiescere ; » proinde ejus causam ad stomachi affectum » non ad febrim referendam esse. »

Galenus memoriæ prodidit, adolescentem quemdam ab humore æruginoso os ventriculi mordente sæpius universali convulsione fuisse tentatum, eamque ipsum non deseruisse, quoad per vomitum ærugo excreta fuisset. « Dum ali- » quid os stomachi, inquit, molestat, vellicando, » mordendo ac æstuando, fiunt fastidia, jacta- » tiones, cardiogmos cordis, atque jam vomitu- » rientibus os sputo tenui plenum esse videtur, » propter tunicæ communitatem, quæ una est » ori toti interno continua faucibusque et sto- » macho et ventriculo. Hinc fit, ut labrum infe-

» rius interdum concutiatur, ventris ore ad vo-
» mitum excitato. Nempe labii concussio indicat
» tunicam eam, quæ ab ore in ventrem extendi-
» tur, tum morderi, tum vellicari et excitari
» expultricem ad vomendum. » Plures alias observationes quas huc ex auctoribus transferre possem, omittere cogor, ne hocce caput nimium excrescat. Concludam igitur per ea, quæ in hanc rem excerpsi ex epistola [1] quadam Brunneri, Archiatri quondam Electoris Palatini, consultatoria super hypochondriacam passionem : « Va-
» rii, inquit et gravissimi in stomacho radican-
» tur morbi partibusque vicinis, et ex infausta
» radice germinantes ceu ex equo Trojano pro-
» rumpunt in universum corpus. Ex horum nu-
» mero præcipuus est affectus qui, a loco in
» quo hospitatur, hypochondriacus dicitur.....
» In ipso autem ventriculo et confiniis recte fons
» et scaturigo omnium symptomatum, quibus
» affectus hic stipari solet, statuitur. Inde vero
» emanat et derivatur in universum corpus : non
» enim vitium semper in humoribus, sæpe et
» rectius in ipsa partis affectæ substantia quæ-
» ritur, ut dum ventriculus exquisito nimis
» sensu nimiumque irritabilis est. Hinc assumpta
» quævis minus fert Archeus, facile irritatur,
» concoctionis negotium interturbatur et per
» consensum variæ generis nervosi affectiones

1 Ea refertur a Valentini, in Praxi sua infallibili.

» concitantur, quum neminem medentum la-
» teat quam mirifici convulsionum motus per
» universos gliscant artus, irritata tunica intes-
» tinorum nervea a lumbricis, intacto cerebro;
» his enim abactis subito cessant, ut taceam
» venenorum ventriculo nondum egressorum
» noxam, de quibus Wepferus *de cicuta aqua-*
» *tica.* » Plura similia videri possunt in eadem epistola.

Huic non absimilis est epistola Albinei, medici apud Neocomenses præstantissimi, quam Wepferus testatur refertam esse documentis manifestis ventriculi afflictiones in totius œconomiæ perturbationes redundare, imo quandoque illam plane subvertere.

CAPUT SEXTUM.

PROSECUTIO CAPITIS PRÆCEDENTIS : UNDE TANTUS VENTRICULI CONSENSUS SIT DERIVANDUS. ADMONITIONES QUÆDAM AC CAUTELÆ PRACTICÆ.

Capite præcedente et experientiis et auctoritatibus celeberrimorum medicorum demonstravimus quomodo ventriculus mala, quibus affligitur, soleat etiam remotissimis communicare partibus : hoc capite probationes aliquas adjungam, idque præcipue, ut, unde tantus ventriculi consensus deduci queat, penitius indagetur.

Ventriculi consensum, ut capite superiore obiter indicavi, ita lucide quotidiana experientia ante oculos ponit, ut nemo, nisi omnino cæcutiens, eum non videat. Quid enim in praxi occurrit frequentius, quam ventriculo aggravato, ex nimia v. g. repletione, totum prorsus languere corpus; partes muniis suis exsequendis ac functionibus, quibus destinatæ sunt, obeundis omnino impares esse; imo immobilem quasi reddi machinam illam artificiosissimam? Cerebrum dicunt oppressum, unico tamen vomitorio has omnes videas dissipari tenebras ac pristinam in membris revocari alacritatem, dum scilicet a

pondere sub quo tota contremiscens gemebat machina, liberata est.

Tantum in cæteras corporis partes ventriculi imperium diu latere non potuit perspicacissimum illum practicum ac per totum orbem celeberrimum, Sylvium De le Boë, qui tamen, defectu cognitionis magnæ hujus visceris sympathiæ, aliam coactus fuit excogitare seu potius fingere hypothesim, ut id, quod oculis indies percipiebat, explicare posset. Convictus quidem erat plerosque morbos non modo originem trahere, sed intertineri vitio primarum viarum, verum rationem non videt. Quid hic faciat Professor solertissimus; qua id explicet ratione suis auditoribus? Plausibilis invenienda est ratio: triumviratum igitur fingit in primis viis humorum, qui effervescentes vapores e se et fumos halitusque spargant, quibus totam pessumdent œconomiam animalem. Verum, si bene mecum consideretis quibus in casibus Sylvius potissimum accuset effervescentias in primis viis ac inde productos fumos atque vapores, agnoscetis cum Ettmullero filio, hos ipsos vapores a Sylvio adduci, ubi subsunt motus spasmodici et convulsivi nervorum, ex irritatione partium sensibilium abdominis, quibus inseruntur, in spasmos contractorum; indeque et alias partes, cum quibus connexi surculi conjunguntur, continuato tali spasmo per consensum, simul affici. Hinc rigores et horrores qui intermittentium inchoant pa-

roxysmos non nisi ex præcordiis seu partibus membranosis in primis viis excitantur, ut recte docet Fernelius [1], uti et ostendetur infra, dum de febribus ex ventriculo productis agetur.

Dicamus igitur cum Ettmullero, ubi probat radicem hypochondriacæ affectionis veram et unicam hærere in ventriculo : « Jus ventriculi est » universale in totum corpus, adeoque in theoria » morborum semper sui postulat curationem : » uti non minus in praxi legitima semper quoque ad eumdem respiciendum est [2].

UNDE TANTUS VENTRICULI CONSENSUS.

Sed quæret hic quispiam, quænam sit tantæ sympathiæ ventriculi causa? Cur ipsi majus jus ac imperium in alias partes quam alteri cuidam visceri obtigerit? Fateri hic cogimur causam non esse ita manifestam; magna ejus teneritudo ac sensibilitas huc plurimum contribuunt : hæc dependet a textura ejus, totus enim nerveus est et hinc, ut ait Hecquet [3], primo sensit totum quod in reliquo peragitur corpore. Deinde ex omnibus fibris motricibus, ut idem arbitratur auctor, et unde deducta sunt prima stamina, nullæ sunt moveri tam faciles quam stomachi

1 Lib. 4. cap. 10.

2 Quod optime persentit Broussais, ubi ait : *celui qui ne sait pas diriger l'irritabilité de l'estomac, ne saura jamais traiter aucune maladie.* Prop. 307.

3 De purganda Medicina.

fibræ : « Revera, ait, in longum exporrectæ sunt, » cingentes partem cavam fluitantem, suspen- » sam, subjecta basi et adjacentibus fulcris de- » stitutam, visceribus omnibus condolescentem : » certe fibras tam teneras, fere vacillantes aut » male fultas, a suis directionibus aut tono facile » dejiciendas venire, manifestum est. » Has ob causas putat illustris ille et princeps medicus Parisiensis, ventriculum tam facile condolere omnibus et singulis partibus.

Si quis præterea curiosius et penitius velit investigare originem consensus ventriculi, is nervorum distributiones, præcipue magni intercostalis et paris vagi, cum Willisio et Vieussens prosequatur, et desinet mirari cur ita arcto vinculo connexus videatur cum cerebro, dura matre, spinali medulla, faucibus, aspera arteria, corde, pulmonibus, diaphragmate, hepate, mesenterio, renibus, intestinis, ipsisque artubus, quibus omnibus conspirat [1].

Liceat hic mihi uti verbis Valentini : « Operæ » pretium mererer, si hujus occasione quædam » de ventriculi constitutione ex anatomicis ad- » ferrem ; verum, ne cramben ab aliis toties » recoctam apponere videar, pauca saltem de » summa hujus visceris sensibilitate attigisse » sufficiat. Notam enim meretur, nullum fere » membrum in tota corporis humani œconomia

1 Vid. Dict. de Méd. art. *Sympathique*.

» tanta gaudere εὐαισθησία [1] quam ventriculi ori-
» ficium sinistrum, alias superius dictum, quod
» vel levissime irritatum acutissimo dolore per-
» funditur, qui cordis dolori vulgo æquipara-
» tur in cardialgia; fit autem illud ob insignes
» plexus a sexto sive, juxta modernos, ab oc-
» tavo seu pari vago. »

ADMONITIONES PRACTICÆ.

Hæc de ratione consensus stomachi sufficiant, quum scopus noster non sit inquirere in causam ac rationem sympathiæ hujus visceris, sed potius experientiis eam stabilire ac confirmare. Cæterum plures rationes a nobis hanc in rem adducentur variis in locis, ubi speciatim ventriculi cum singulis partibus consensus experimentis ostendetur. Sunt alia graviora, de quibus vos monitos volo : habete, quæso, in praxi semper præ oculis ventriculi teneritudinem ac sensibilitatem summam, qua fortius, inopportune et perperam affecta, omnis nervorum textus vellicatur et exstimulatur præpostere : laborantibus item iis partibus quæ stomacho condolere assueverunt, inquirendum est sedulo, an id vitii a stomacho fortassis non provenerit; quod si ipse stomachus male habeat, indagandum tunc est, an ille vitio suo, an vero alterius partis afficiatur. Quemadmodum enim ventriculus mala sua cum aliis quibusvis partibus communi-

1 Sensibilitate.

care, ita et ipse aliarum partium incommoda sentire, consuevit. Hanc ob causam, stomacho patiente, investiganda sunt, ut rectissime etiam monet Hecquetus, viscera remotiora, quorum malo non infrequenter nascuntur ejus affectiones, ut cardialgiæ, nauseæ, vomituritiones. Hæc autem inter viscera numerabis uterum, renes, pulmones, cerebrum, non omissis intestinis; ab enterocele enim contumaces foveri vomitus, quotidie observamus. Istiusmodi autem vomituritionum, a dissitorum locorum vitiis profectarum, ut causæ sunt sympathiæ atque consensus quos satis exponunt fibrarum doctrinæ, nervorum distributiones, et oscillationum consensiones, ita vomitoria jubere, ubi procul a stomacho semotæ nausearum causæ, aut imperiti stoliditatem, aut periti solertiam et pigritiam arguit. Est autem hæc sympathia in praxi frequentissima; imo partes maxime a stomacho remotæ, quibus nullum cum eo intercedere videtur commercium, afflictæ motum ejus perturbant, invertunt, fibras ejus ad enormes sollicitant contractiones, unde vomitus pluraque alia inducuntur symptomata [1]. Sic turunda oleo tabaci imbuta et trajecta per femur canis excitat horrendos vomitus. Hinc videtur sufficere partem aliquam esse fibrosam, quæ afficiatur, ut irritationem suam communicet stomacho et excitet præter vomitum in

1 Confer. Hecquetius, de la digestion.

stomacho tumultus. Ex tabacino oleo litus, externis tantum partibus affrictus, stomachum turbat, convellit conjicitque in vomitionem [1]. Nobilis ille Helmontius hæc ipsa in se expertus est: « Empturus, inquit, villam, obambulabam cum » insigni appetitu; tum fortuito distorsi pedem, » lapsus sum, rigor statim obvenit cum nausea, » vomitu et suffocato priore edendi appetitu : » mox vero distortum pedem ac semidislocatum » reposui, atque eodem instante redditus est mihi » appetitus pristinus cessavitque nausea. » Plura in progressu adducam exempla, ubi singularum partium cum stomacho sympathia explicabitur.

Ad hanc properans explicationem caput hoc finio Hecquetii verbis [2] : « Stomachum, inquit, » habes corporis centro situm, tenerum, maxi» me universi corporis affectionibus consonum, » omnibus partium congaudentem bonis; ut » enim hæc cupide sentit, illa odiose aversatur. » Partem tam publicam, cohærentem omnibus » aut consociatam, pungis, vellicas aut emoves, » cæteras in consortium trahis; omnes ergo titil» las, lacessis, exsuscitas, attamen fortius illas » quæ tensiores fuerint, rigidiores et breviores, » tum quia acutius aut altius resonant quæ » magis tensæ sunt citharæ fides, tum quia » sequax longe minus est vel difficile ductilis » fibra quæ jam contrahitur aut corrugatur. »

1 Conf. Hecquetius de purg. Med.

2 Eodem opere.

CAPUT SEPTIMUM.

DE VENTRICULI CUM CAPITE CONSENSU.

Sicuti ex vulneribus aut contusionibus vel quocumque graviori capitis affectu concitatur, solo consensu, vomitus, ut in antecedentibus demonstratum, ita vicissim, ex eodem ventriculi cum capite consensu, capitis affectiones, in specie dolores intensos oriri posse, patet. Nam sicuti omnia cerebri undecumque afflicti mala cum stomacho facile communicantur, idque vel generis similitudine vel jure societatis, ita, ut ait Duretus, omnia stomachi utcumque afflicti mala consentiunt cum cerebro ejusque societatem ineunt.

Dolores capitis frequentissimos ex ventriculo provenire, optime adnotatum est non modo a practicis, sed etiam quibuscumque scholasticis: nam omnes qui agunt de cephalalgia, eam dividunt in cephalalgiam per consensum et in eam quæ fit per essentiam. Sub illa præcipue comprehendi volunt eam, quæ fit ex ventriculo. Nec immerito, quum dolores capitis, ut recte ait Baglivus, magna ex parte ex stomacho fiant; non intelligendo tamen hic dolores

syphiliticos et hemicranias inveteratas, quæ aliunde ducunt originem.

Possem hunc consensum plurimis experientiis practicis, ab auctoribus mutuatis, confirmare; verum, quum exempla in omnibus et singulis auctoribus sint obvia, ad illos vos remitto. Forestus, agens de capitis doloribus, variis probat observationibus practicis [1] caput doluisse ex consensu ventriculi. Consulite Willisium, Lotichium [2], Riverium [3], Bartholinum [4] pluresque alios, qui vos omnino convincent dolores capitis ex stomacho sæpissime oriri.

DELIRIUM EX VENTRICULO.

Examinemus modo ordine alias capitis affectiones vitio stomachi produci solitas. Helmontius advertens, ventriculo læso, functiones omnes animæ lædi, illas, quæ ab omnibus in cerebro perfici admittuntur, ipse in ventriculo, quem ut sedem animæ describit, peragi autumatur. « Quum aliquando, inquit, degustato napello » dementia oboriretur, sensi cum admiratione, » aperte et dilucide atque constanter intelli- » gendi munus oboriri in præcordiis et expandi » circa os stomachi, idque adeo sensibiliter, ut » clare sensi atque attente notavi, quod, quam-

1 Præcipue obs. 44, 45 et 46.
2 In Observ.
3 Centur VII. obs. 2.
4 Centur IV. epist. 6.

» vis etiam sentirem sensum et motum sospites » a capite in totum dispensari, tota decursuum » facultas notorie et sensibiliter in præcordiis » esset, cum exclusione capitis, quasi tunc mens » sua consilia ibi meditaretur. » His similia habet, dum refert causidicum ab assumptis duabus drachmis seminis hyosciami insanum ac fatuum redditum, qui per vomitivum infra semihoram convaluit. Unde se collegisse affirmat, vires intellectuales in stomacho stabulari; et paulo post sic loquitur : « Major spectatur auctoritas stomachi in caput, quam capitis in sto» machum; siquidem sopor, somnus, vigiliæ, » deliria et quæcumque symptomata, capiti solita » tribui, remediis stomachicis, non autem cepha» licis mitigantur et abolentur : hinc enim ada» gium : O caput helleboro dignum ! » Meminit etiam Blasius delirii ex ventriculo, et bene adnotat in morbis complicatis, delirium conjunctum habentibus, ventriculum pro parte primaria affectum haberi a peritioribus medicis, et vere practici industriores non verentur malo huic obviam ire emeticis, quæ stomachum a malis, quibus affligitur, liberent. Nec infelici cum successu, quum sæpe unico vomitorio amissam quasi recuperent mentem.

VERTIGO.

Inter omnes affectus capitis nullus frequentius inducitur a vitio stomachi, quam vertigo.

Unde aliqui arbitrantur numquam, vel rarissime saltem, vertigine corripi ægros sine prævio stomachi vitio. Inter illos numerari potest Ettmullerus, qui in *praxi sua* de illa sic loquitur: « Vertigo vulgo dividitur in eam quæ est per » essentiam seu proprie et primario affecto cere- » bro, et eam quæ est per consensum seu affectis » partibus inferioribus contingit. Sed, ut verum » fatear, rarissima est vertigo per essentiam, » quando quotidiana praxis et practicorum ob- » servationes monstrant, vertiginem fere omnem » esse vitio partium inferiorum, utut diutius » affligens et crebrius recurrens usque eo spi- » ritus animales et cerebri texturam alterare et » immutare valeat, ut tandem ex vitio cerebri » proxime affligere videatur. Inter partes istas, » quarum consensu fit vertigo, primaria est » ventriculus, qui ut plurimum, utut variis » modis peccet, imprimis in quibusdam jeju- » nium ferre nequit. Unde fit, ut tales interdum » juvenes, in specie autem senes, sæpius fiant » vertiginosi tam diu, quam vacuus est stoma- » chus; simul atque unam aut alteram tantum » panis buccellam comederint, omne malum » cessat : unde etiam matutinis horis tantillum » comedendo vertiginem talem sæpius præca- » vent. Hinc etiam, qui laborant affectu hypo- » chondriaco, cujus radices figuntur in stoma- » cho, vertiginosi sunt sæpius, specialiter si sint » jejuni. Quin et flatulenti cibi dicti, ut cæpæ,

» allia, raphani, dum adhuc in stomacho com-
» morantur, vertiginosos nonnullos reddunt, im-
» primis ante ad vertiginem dispositos : vermes
» intestinorum subinde graves inferunt vertigi-
» nes. » Hactenus Ettmullerus : et rectissime quidem, mea sententia, confirmant hanc opinionem meam, quæ singulis diebus in praxi occurrunt. Nulli magis vertigini obnoxii sunt quam helluones et ebriosi; et quod plus est, hesterna crapula non tam noctu quam mane, vacuo cibis stomacho, vertigines suscitat quæ, sumpto cibo, cessare continuo solent : signo manifestissimo causam earum in stomacho latere, quum buccella panis non agat nisi in ipsum stomachum.

Prout vertigo et oculorum caligo ex stomacho, sic et plurimorum aliorum, quibus affliguntur oculi, malorum fomes ac focus est in ipso stomacho. Ab ipso enim deducendæ ophthalmiæ, defluxiones, ut vocant, oculorum aliaque similia, quæ ideo vel uni cedunt cathartico opportune exhibito. Hinc *pillularum lucis* nomen, non quod illarum sit immediata in oculos actio, sed tantum mediante ventriculo effectus suos edant. Lommius, in *medicinalibus suis observationibus* suffusionis seu incipientis quasi cataractæ meminit [1] ex stomacho proficiscentis. Talem suffusionem asserit intermittere et remittere, si curata coctione perspectum stomacho

1 Lib. 2.

est; invalescere vel reverti, si is cruditate labefactetur. Qui plura desiderat, Helmontii pervolvat opera, in quibus hanc nostram de consensu stomachi cum capite stabilitam inveniet opinionem, licet auctor ille nobilissimus terminis quibusdam exoticis mentem suam aperiat.

AFFECTUS SOPOROSI.

Affectuum soporosorum causam si inquiras, non minus sæpe reperies illam in stomacho hærere, quam causam vertiginis quæ horum affectuum solet esse prodroma. Apoplexiam a stomacho prægravato passim oriri, ex iis probat Helmontius, quæ eamdem communiter præcedere solent, symptomatis. Etenim languor ille, totius corporis ineptitudo ad motum, inclinatio ad somnum, capitis gravitas, cerebri quasi oppressio, de quibus primo conqueruntur quibus gravis imminet hæc procella, imo quæ primordia sunt apoplexiæ, ordinarie ventriculi sunt effectus. Et sane, si ad singula animum reflectamus, si modum invadendi, si causas occasionales et remedia spectemus quibus celerrime cedit gravissimus hic affectus, non dubitabimus quin sæpius apoplexia ob ventriculi gravitatem et oppressionem ejus, quasi a pondere incumbente, inducatur, quo fiat ut cæteræ omnes partes et præcipue capitis in similem affectionem rapiantur. Nec mirum, si enim convulso, irritato, puncto, aut corrugato ventriculo totum genus

nervosum noxam inflictam sentiat, quare, eodem collapso et quasi sub pondere fatiscente, non fatiscat et collabatur pariter totum genus nervosum vel illud, hoc in casu potius quam in priore, immune sit.

Hæc illa est apoplexia quam medici serosam aut pituitosam dicunt, ut distinguatur ab ea, quam sanguineam vocant; ea scilicet apoplexiæ species, in qua emetica, cathartica ac enemata acriora totam implent paginam, in qua venæ sectionem imperasse piaculum sit. Horum autem ratio non petenda est ab obstructione illa fictitia minimorum tubulorum cerebri, intactis etiam tubulis cerebelli, sed potius a tono ventriculi dejecto eumque subsequente totius generis nervosi pari affectione. Parvulæ, ut ita loquar, id probant apoplexiæ. Dum quis ingurgitavit se cibis et præcipue difficilioris digestionis, totus fit soporosus, membra languescunt, utut sensuum non fiat abolitio, minuitur tamen vigor, et hebetudo quædam ingruit.

Ex hisce discite in capitis morbis indeque ortis symptomatis sedulo percunctandum esse, num caput a ventriculo ejusmodi patiatur, quum id ipsum fieri posse ac solere jam audiveritis? num ex aliarum partium consensu afficiatur, aut denique idiopathice sit afflictum? Date operam ut, per signa quædam certiora, possitis devenire in cognitionem partis primario affectæ, si felicem desideretis remediorum eventum; quum

unde malum venit, eo curationis tela sint dirigenda.

Vultis exemplum; sequimini Forestum, cui quum apprime notum esset, non sufficere si sciatur capitis dolorem sæpissime suboriri ex consensu partium inferiorum, sed etiam necessarium omnino esse practicanti, posse cognoscere quandonam id fiat, signa quædam, quibus dolor ille sympathicus dignosci possit, in scriptis suis tyronibus ipse tradit.

NOTÆ QUIBUS CAPUT DEPREHENDITUR PER CONSENSUM LABORARE.

« Primum ergo, inquit [1], per consensum la-
» borare deprehenditur caput, quum nulla evi-
» dens causa, ut æstus, frigus, ictus, odor
» gravis, aut aliquid eorum, quæ gravitatem
» capitis facere consueverunt, prius occurrerit.
» Ab eoque differt, qui primario afficit, quod
» solitarius consistit perpetuusque est, nihil in-
» termittens neque increscente alterius partis
» affectu augetur, sed quovis alio sublato per-
» sistit atque illi accommodata præsidia confe-
» runt; alter vero frequenter repetit et cedit,
» alterius incremento invalescit illiusque remis-
» sione et affectu sublato mitescit vel levatur. »

NOTÆ EX VENTRICULO.

« Quodsi dolor capitis, ait idem auctor, ra-
» tione humorum collectorum in stomacho, signa

1 Forestus, lib. IX. obs. 44.

» tunc colligenda ex propriis locis de cruditate, » nausea, debilitate, et indigestione ventriculi; » quocumque etiam vitio stomachi fiat dolor » in capitis partem anteriorem, frontem, po- » tissimum tamen tempora declinat. Mihi equi- » dem solemne est in doloribus capitis primo ante » omnia sedulo inquirere, num illi suborti non » fuerint ex ventriculo? inde examino, num signa » ulla cruditatum adsint? Ex ventriculo enim pro- » dire, judicandum est, quum cruditas aut cibo- » rum corruptionis vel imbecillitatis indicia, » nausea, inappetentia, oris amaror et cordis » erosio, cardiogmos appellata, prius præsen- » tiuntur; quibus præsentibus, stomacho potius » quam capiti prospiciendum esse, judico. Tali » in casu emetica, cathartica, stomachica, erunt » mihi cephalica : pari modo et in aliis capitis » affectibus soporosis, uti sunt apoplexiæ, ubi » prudentis et acerrimi judicii medici requiritur » præsentia, qui non promiscue in quibusvis » apoplexiis imperet venæ sectiones, emetica ac » fortissima stimulantia. » Uti enim apoplexia sanguinea, vel illa, quam Lancisius vocat epilepticam, ex convulsione scilicet cerebri, suffert venæ sectionem, ita et illa, quæ ex stomacho est, minime illam patitur. Sed has inter se distinguere hoc opus, hic labor. Causæ occasionales primum lumen huc adferant. Non sufficientibus illis, ex pulsu vehementiore, colore faciei rubicundiore, convulsionibus quandoque superve-

nientibus, duritie saltem pulsus, priorem distingues a posteriore in qua facies pallidior, pulsus languidior et similia multum discrepantia adsunt symptomata.

RATIO CONSENSUS.

Hæc sunt quæ ex doctrina consensus potissimum vos colligere oportet. Hæc ut probe perdiscatis, curandum magis est quam ut rationem eorum solliciti excogitetis. Si tamen rationem sympathiæ ventriculi cum capite desideretis aliquam plausibilem, sufficere vobis possunt ea, quæ Willisius hac super re disseruit : « Ab ejus-
» modi, inquit [1], materia acri, vitriolica aut alia
» infesta, intra stomachum aggesta et commota,
» spasmus sive corrugatio molesta fibris nervo-
» rumque extremitatibus, illic insertis, imprimi-
» tur; hic mox, eorumdem nervorum paris vagi
» et intercostalis ductu in caput continuatus,
» membranis fibrisque nerveis, in corrugationes
» dolorificas prædispositis, communicatur. Nam
» quum nervi nihil aliud sint, teste Friccio
» *de venenis*, quam cerebri solida et membra-
» narum ejus substantia atque ab eo non secus
» ac funiculi dependentes, non autem, ut vulgo
» hactenus fuit creditum, spirituum peculiares
» canales, unde facile fieri potest ut, uno nervo
» vehementer attracto irritatoque, tota etiam ma-

1 De anima brutorum.

» china et systema attrahatur et irritetur, et præ-
» cipue caput. Quod si fiat, inquit, a veneno,
» cur etiam non ab alia causa ? »

VENTRICULI CONSENSUS CUM FACIE.

Hisce obiter de ratione consensus ventriculi dictis, antequam ad partes capiti subjectas descendamus, breviter etiam aliqua dicamus de facie. Ettmullerus, dum signa chyloseos læsæ adfert, inter alia etiam ponit sequens. « Præ-
» terea, inquit, sæpe adest post pastum in ta-
» libus subjectis phlogosis seu rubor faciei, in
» qua phlogosi semper observatur, quod fiat a
» stomacho, hocque muco copioso, nimis acido,
» ab alimentis non rite digestis residuo, onerato.»
Idem confirmat Sennertus [1] dum phlogosin faciei dicit signum certissimum digestionis læsæ. Hinc est, quod Baglivus etiam dicat, quod in faciei morbis purgantia omnem paginam absolvant, ut præter experientiam testatur divinus Senex in Coacis. « Perturbata alvus, ut pauca sæ-
» pissime subducat, delet faciei exanthemata.» Et alio loco [2] : « Exinanita alvus humorem ex reliquo
» quidem corpore universo, ex capite autem po-
» tissimum ad se trahit, quum incaluit : vacua-
» tione autem capitis expurgantur oculi, aures
» etc. ipsa tamen facies clarior fit et nitidior. »

1 Pract. med. lib. III. 125.
2 Hippoc. de salubri victus ratione, lib. II.

Hæc ille; quæ omnia quotidiana confirmat experientia. Faciei erysipelatem ex ventriculo dependere, probat catharticorum felicissimus hoc in affectu usus quem Baglivus etiam in secretis fuisse cuidam seniori medico Patavino, testatur. Sed quid plura? An pallidus faciei color indivulsus non est comes cruditatum ventriculi? An ex eo suspicio vermium in primis hospitantium viis apud cautiores non suboritur medicos? Quid ex circulo livido sub oculis conjectura assequi liceat circa morbos primarum viarum, omnibus notum est.

Si iterum vultis rationem, ex Vieussens eam petere licet, ubi explicat, cur oculi, labra et reliquæ faciei partes, quibus nervorum par quintum et sextum propagines impertiunt, promptissime diversis præcordiorum motibus obsequentes, diversas mutationes patiantur.

CAPUT OCTAVUM.

DE CONSENSU VENTRICULI CUM LINGUA, FAUCIBUS, PARTIBUSQUE ALIIS PALATINIS.

Hunc ventriculi consensum non modo vidit Bausner in Tractatu suo sæpius jam memorato *de consensu partium*, sed et ejus rationem valde plausibilem adfert : « Lingua, inquit, aliaque » ore contenta ex intemperie ventriculi calida » et biliosa iisdem conflictantur malis, quibus » ventriculus, ariditate scilicet et amarore, non » solum ob membranam quæ illis communis » est, verum etiam propter vapores calidos et » amaros, qui superiora petunt, partesque dictas » inficiunt; unde œsophagus in ardore ventri» culi uritur. Quod certe experiri contingit illis » qui aliquando malo hoc affecti fuere, dum » partes omnes faucium, isthmo comprehensæ, » exuri videntur. »

Utraque illa, quam adfert auctor ille, ratio subsistit, jam hac, jam illa, jam utraque locum obtinente; quare discutiamus casus singulos. Imprimis certissimum est quod eadem sit, ut etiam testatur Baglivus, tunica, quæ os, œsophagum, et ventriculum interna ex parte ves-

tit. « Inde fit, ut tantus sit, inquit, consensus » linguam inter et ventriculum, ipsorum morbi » et morborum causæ facile ad invicem muten- » tur. » Continuitatem illam etiam veteribus notam fuisse, jam antea ostendi. Almeloveen ex Stephani dissectionibus corporis humani sic disserit : « Superficies oris continua existit cum » superficie stomachi, imo est ac si una esset » superficies : utut est, hanc ob continuitatem » vomitum a palato aut uvula irritatis passim » succedere videmus, et hinc, ut optime ad- » notavit Willisius [1], a cibo potuve ingratis, fere » tantum ore libatis, etiam a pluma gutturi in- » dita sæpissime vomendi nixus aut vomitio cie- » tur. Propter eamdem rationem etiam in phthisi » tussim vehementem vomitus quandoque con- » comitatur aut sequitur, scilicet ob vellicatio- » nem sive concussionem ejusdem tunicæ, quæ » pariter gulam et summitatem tracheæ obdu- » cit. Hac etiam de causa in œsophagi vulnere » excitatur vomitus, vel etiam ex relaxatione » œsophagi superius orificium ventriculi hiat. » Quæ quum ita sint, ob eamdem communem » tunicam, necessario stomacho vellicato aut » male affecto idem sentiunt partes internæ oris » concameratione inclusæ. Hoc luculenter evin- » cit copiosa salivæ excretio, vomitum præcedere » solita, uti et labii inferioris tremor, quæ certe

1 De operatione medicamentorum.

» nulli rectius imputaveris causæ, quam con-
» tinuitati communis membranæ. »

In hoc tamen partium consensu non sine fundamento rectissime sæpe accusaveris vapores et fumos, ab inferioribus ad superiora scandentes. In fumos quidem evanuere hodie dum vapores halitusque qui, e partibus inferioribus caput continuo petentes et rursum ex eo destillantes in partes subjectas, dicebantur tot tantorumque malorum causæ, quum viæ nullæ nisi fictæ assignari possint. Verum e ventriculo per œsophagum ad partes ore inclusas via liberrima, aperta ac trita satis : vaporum, ex ventriculo exhalantium et superiora petentium, signum sunt oris fetor ructusque, tam acidi quam nidorosi, qui in soda et ardore stomachi tantum caloris et æstus sensum in his excitant partibus, ut fauces comburi asserant patientes.

Utrum tamen illis in casibus utraque non concurrat causa, disputare hic nolo; quandoquidem, sive consensus ille fiat ob continuam eorum membranam, sive ob fumos et halitus ascendentes, in praxi nihil mutetur ac eadem procedatur methodo. Quare hic sufficiat si sciatis et attendatis, partes faucium isthmo contentas ordinario affici propter ventriculi consensum. Quod in praxi etiam indies observare contingit in uvulæ relaxatione, amygdalarum vel tonsillarum intumescentia, partium adjacentium inflammatione (anginam nonnulli vocant spuriam);

quæ omnia unico karthartico exhibito sæpe evanescere videbitis. Ex quo sequitur, ob ventriculi consensum, et quidem a cruditatibus in eo latentibus, symptomata illa producta fuisse. Consentire enim illis nequeo, qui purgantium præsentaneam in his affectibus opem non tam deducunt ex eo, quod materiam peccantem e primis educant viis, quam quod oscillationes versus inferiora magis trahant et sic revulsione, quam procurant, effectus suos præcipue edant. Hæc enim quamvis nonnihil contribuere concedam, quum tamen et vomitu procurato nonnumquam æque feliciter hanc spuriam curaverim anginam, arbitror cathartica tantarum esse virium, ut materiam peccantem e primis educant viis, præcipue quum causæ occasionales, ut excessus in cibo et potu, unde cruditatum copiosus proventus, idem indicent.

Antequam pergam, juvat vos aliqua monere circa anginam. Quam in angina spuria proficua sunt cathartica, tam sunt eadem in angina vera nociva, in qua cum faucibus pectus, cervix, aut collum rubrum ac maxime inflammatum apparet, ita ut tumor sit conspicuus cum calore et dolore ac febri acuta. In hac cura potius instituenda, ut in pleuritide vera, venæ sectione et similibus.

Ut redeam unde digressus sum, inter omnes partes, oris concameratione inclusas, lingua maxime consentit cum stomacho : quare numquam ab ægro recedo, nisi inspexerim linguam, quum ex ejus constitutione facile sit indicare de stomachi affectione. Nam dum lingua est pellucida, ut cum Ballonio loquar [1], aut nigra exustaque, totus stomachus, cui illa est continua, eo pene modo affectus est censendus : imo, ut testatur Prosper Alpinus [2], nonnumquam solent aphoni reddi ægri ventriculo ab aliquo humore læso, quo, aut sponte aut arte, vomitu rejecto, liberantur. Quid ? quod a vermibus aphoniæ observentur sine periculo.

Ex his sufficienter patet quantus sit ventriculi consensus cum partibus dictis palatinis. Hisce tamen adde ea quæ superius a me dicta sunt de aphthis, quas Harris, medicus ille Londinensis celeberrimus, unice deducit a vitio ventriculi. Caput igitur hoc finiam, ubi tamen prius dixero, sputationem illam frequentiorem, ex qua medici sagaciores solent colligere, ventriculum vel vermibus vel cruditatibus scatere, satis etiam clare ostendere sympathiam ventriculi cum hisce partibus. Et quid miri, si a vermibus, in ventri-

1 Lib. 3. consil. 5.

2 De præsagienda vita et morte ægrotant.

culo existentibus, partes ore inclusæ afficiantur, quum nares ipsæ horum præsentiam sentiant. Quare et ipsis vetulis notum, fricationem frequentem narium in pueris indicare vermes.

CAPUT NONUM.

DE STOMACHI CONSENSU CUM PECTORE.

Solent hodie vel ipsi scholastici morbos pectoris adscribere vitiis partium infimi ventris et præcipue stomachi, sequentes hac in parte Ettmullerum, cui ea debetur laus, quod primus tusses, asthmata, syncopes aliasque pectoris affectiones distinxerit in pectorales et stomachales. Non latuerat tamen hujus distinctionis fundamentum auctores superiores. Ballonius, medicus Gallus nemini secundus, sympathiæ hujus variis in locis meminit [1]. « Si quid est, inquit, » præternaturale contentum in ventre inferiore, » maxime circa os ventriculi, illud, ratione con» tinuitatis, difficultatem respirationis adferre » potest. Ut etiam pondus et oppressio ventriculi » homines ἐγγαστριμύθους, id est, quasi ex ventre » loquentes reddere potest, quia libertas sermo» nis ob oppressionem erepta est, similiter prop» ter difficilem respirationem, causa ipsa thora» cem non egrediente, sæpe dolor suboritur in » partibus ventris aut in ventriculo ipso, et tunc

1 Hist. med. 1. lib. 2. consil.

» male medici partibus dolentibus manum ap-
» plicant. » Et alio loco : « Plerique dolores ad
» stomachum varie fatigant, quos nescias an
» attineant ad ventriculum ipsum, an ad partes
» vicinas : ratione enim membranarum, tum quæ
» investiunt thoracem, tum quæ diaphragmati
» vicinæ sunt, oriuntur sæpe dolores continui-
» tate quadam affligentes et, ea ratione, alios
» aliterque quam sint mentientes; ut, sæpe ab
» ægris ignorantibus species doloris male intelli-
» gentes, medici decipiantur plerumque nec ulli
» dolori solatium adferant [1]. » Et paulo post : « Si
» non solum intra ventriculum dolores consi-
» stant, sed infra suprave, id per consensum
» fit. » Unde Archigenes apud Aëtium dicebat,
« medicos sæpe decipi, ratos doloris causam aut
» in præcordiis esse aut in pectore, quum eorum
» causa a ventriculo repetenda sit. » Et rursum
alibi : « Cacochymica hypochondriorum obstruc-
» tio dolores facit, qui maxime apparent et pro-
» feruntur in pectore, ob consensum diaphrag-
» matis et quia in thorace communis est mem-
» brana et lateribus et diaphragmati. » Et sane
recte, quum consensus ille pectoris cum ven-
triculo a memorata continuitate membranarum
repetendus videatur.

1 Id lib. 1. consil. 26.

RATIO CONSENSUS VENTRICULI CUM DIAPHRAGMATE.

Modum autem et rationem hujus consensus eleganter exhibet Ettmullerus [1] « Simul ac, ait, » ventriculus in dolore hypochondriaco afficitur, » convellitur diaphragma. Structura namque » nervorum et membranarum in universo cor- » pore habet se ad ventriculum instar chordarum » tentarum et inter se connexarum; unde, uno » loco una fortius pulsa, per consensum altera » quoque movetur, et pars a parte afficitur [2]. » Quamobrem quamcumque ventriculi exorbitationem expiare tenetur diaphragma et, quia tendinibus suis costis spuriis et processibus suis lumborum vertebris implantatur, sequitur, ut et ingentem percipiamus dolorem in costis spuriis et vertebris abdominis, quoad anteriora, instar calculi nephritidem inferentis. Cæterum quia nervus intercostalis diaphragmati propagines suas communicat, fit ut, convulso diaphragmate, in consensum quoque trahantur musculi respirationi inservientes cæteri, in specie etiam quoad partes posticas. Ex quibus nervorum et hinc musculorum et membranarum spasmis multijugæ patientium conturbationes, dolores tensivi, dorsales præsertim, nonnumquam ad vertebras

1 In Dissertatione de malo hypochondriaco.

2 Vid. et Willis. cerebri anat. Item patholog. cerebri specimen.

colli usque protensi. Exinde quoque facile licet colligere, quomodo sæpius in hypochondriacis asthma aliquod siccum natales suos nanciscatur; imo quomodo in hypochondriacis adeo frequentem symptomatum præfatorum societatem appetat cordis palpitatio. Hinc æque non inepte aliquis vocitaverit passionem hypochondriacam *epilepsiam ventriculi*.

Hanc item connexionem diaphragmatis cum ventriculo satis clare exposuit Wepferus, agens de singultu per venenum intus sumptum excitato. Verba sunt : « Nec mirum est a ventriculo » gravius vexato diaphragma ad hunc motum » stimulari, illudque conari ipsi hac succussione » suppetias ferre; nam gula illud non ita libere » transit, quin potius undique gulæ, superne » prope ventriculum, mediante membrana ipsi » cum pleura communi, et inferne prope sto- » machum, mediante membrana cum peritonæo » communi, connectitur. Insuper a diaphrag- » mate reliquo, ubi gula illud permeat, filamenta » et membranæ nerveæ arctissime uniuntur, et » ulterius aliquo usque exporriguntur atque » cum fibris ventriculi, rectis potissimum, coa- » lescunt. »

QUOMODO EX STOMACHO SUBORIATUR SINGULTUS.

Ex hoc potissimum diaphragmatis et ventriculi consortio laudatus auctor deducit singultum; nec immerito, quum causa ejus plerumque,

si non semper, in stomacho lateat, quodque evincit singultus, non solum venenis assumptis, sed et inflammationi ventriculi, quacumque de causa subortæ, superveniens, uti testatur Hofmannus [1].

EX STOMACHO TUSSIS.

Quemadmodum singultus, ita et tussis causam ordinariam ad stomachum referimus. Jam supra ex Harris ostensum est, tusses infantum ex stomacho esse idemque videmus sentientem Baglivum : « Tussis, inquit hic, infantum semper solet esse a stomacho cruditatibus scatente; quo in casu semper stomacho prospiciendum. » Consonat Ettmullerus in *Praxi sua:* « Stomachus, ait, irritatus dat tussim, imprimis quando vitium hæret circa orificium superius, quod connectitur diaphragmati; sic fiunt namque sæpius tusses contumaces adeo et pertinaces, ut, dum ingruit, vix tussiendi conatus remittat ante vomitum. » Adducit quoque consentientem Lindanum, qui dicit : « Mihi est compertum pluribus observationibus, plerumque tussim esse ex ventriculo, et omnis illa tussis furibunda, quæ est in infantibus, semper est ex stomacho [2]. » Hinc etiam fit, ut in

1 In Dissert. de inflammatione ventriculi.

2 Vide ejus Meletemata, in quibus habet plura de hac tussi, imprimis ex stomacho orta.

vermibus infantum, hi laborent tussi : causam rejicit recte Sennertus et Forestus in vellicationem stomachi, quo vellicato, sequitur talis tussis inanis. Hujusmodi autem ex stomacho tussis justa erit suspicio, si præcesserit erratum in diæta; si excernunt tussiendo viscida, et conqueruntur de dolore circa scrobiculum cordis; et maxime si ex injuria aëris non sit contracta.

Id ipsum, quod mirum fortassis quibusdam videbitur, probari potest ex medicamentis quæ præscribi solent contra tussim. Nimis enim ineptiat, quisquis crediderit eclegmata et linctus recta ad pectus penetrare, ut propterea debeant, quod nonnullis placet, lentissime deglutiri, nempe ut sic cum saliva per rimam vocis in laryngem stillare possint : vel quis in animum inducat oleosa ac lubricantia, hisce in casibus sæpe præscribi solita, ex stomacho integris viribus pectus adire? Sane, si quis hic animum mediocriter advertat, non poterit non fateri, proxime illa agere in ventriculum illoque tantum mediante effectus suos ad pectus transmittere. Quid? quod vel unico sæpe haustu decocti pectoralis solutivi tussim sublatam videamus; vel quid sentiamus de opiatis quæ tusses atrocissimas numquam non sedant. Profecto eorum potissimam in ventriculum esse actionem plerique conveniunt auctores. Instar omnium sit Helmontius : « Quod autem tusses spectat, ait, » patet sane licenter, opiata quædam operari

» atque mandare, non solum ut melius lon-
» giusque aut quietius dormiant, sed memini
» quod assumptum Paracelsi laudanum, etsi
» insomnes propemodum tussienti noctes præ-
» beret, ita tamen tussim pacasse et copiosa,
» flava compactaque sputa compescuisse, ut
» mox nedum in quanto sint imminuta, ve-
» rum etiam in sputa subpallida ac deinde in
» alba sint mutata. Potissimum etiam, quod
» mane per vomitum rediens opiatum sero as-
» sumptum testaretur, suspensam tussim simul-
» que generationem screatuum, copia et colore
» horridorum, stetisse ac per consequens phar-
» macum adhuc in stomacho aliis cœnæ cibis
» permixtum compescere, ne liquor alimenta-
» rius laryngis degener evadat, atque in ejusmodi
» mucum adeo copiose recedat. Valet igitur,
» pergit, stomachus compescere productionem
» tot phlegmatum screatu rejectorum, quate-
» nus ejus digestiva vis præsidet digestionibus
» cæteris. » Hæc omnia confirmat Willisius [1] :
« Novi, ait, in hypochondriacis, quod alimenta
» dispepta, stomacho ingesta, mox tussim ina-
» nem et valde pertinacem excitaverint, inte-
» rim ut pulmones diathesi quavis tabida satis
» immunes fuerint. Utriusque autem affectus
» causa videtur esse, quod, quum nervi in alter-
» utra parte disseminati spasmo corriperentur,

1 Descript. nervorum.

» sæpe, qui alterius sunt partis, in ejusdem affec- » tus consensum trahantur. Forsan hinc contin- » git, ut interdum asthma propter ventriculi » labem inducatur et affectus iste (uti Rive- » rius observat) sæpius a pharmaco emetico » curari soleat. » Non absimilia adducit Vieussens, ubi ait, quod sinister paris vagi truncus pulmonibus simulque œsophagi tunicis ramulos plures impertit. Unde, pro ejus sententia, ratio desumi potest, cur tussis molesta sæpe nauseam imo vomitum inferat et, vice versa, cur ventriculi perturbatio nonnumquam molestam tussim sine ullo pulmonum vitio inducat. Utriusque enim affectus causa est, ni fallimur, quod nervi, per alterutram partem disseminati, spasmo correpti sæpe nervos in altera parte desinentes in ejusdem affectus consensum trahant. Hinc pariter haud dubie fit, ut interdum asthma propter ventriculi labem inducatur et, juxta experientissimi Riverii observationem, pharmaco emetico curetur.

ASTHMA AC ALIÆ RESPIRATIONUM DIFFICILIUM SPECIES.

Ad asthma modo progrediamur. Respirationes difficiles, asthmata, dyspnœas, catharros suffocativos, incubos oriri vitio stomachi, non modo norunt solertiores practici, sed illi ipsi qui simili aliquo malo quandoque laborarunt. Hi enim experiri potuerunt, repleto ac prægravato stomacho, vel ingruisse subito hujusmodi affectio-

nes vel admodum fuisse intensas. Audire rursum juvat Ettmullerum : « Asthma, inquit, humidum seu manifestum sæpius hæret in sto-
» macho quam ipsis pulmonibus. Ut plurimum
» enim talium stomachus reperitur infarctus
» materia crassa, viscida ac mucilaginosa quæ,
» ubi quacumque ex causa fuerit agitata, ut ipse
» incipiat turgescere et quasi inflari, pericu-
» losa admodum dat asthmata; partim, quoniam
» nimia distentione ventriculi impeditur motus
» diaphragmatis deorsum, qui tamen maxime
» est necessarius; partim vero, quia diaphragma
» ipsum quodammodo in consensum trahitur ex
» irritatione stomachi, ut illius convulsio et per-
» versus sequatur motus : ita ut certus sim,
» plura esse asthmata humida ex vitio stomachi,
» quam vitio pectoris. Imo, pergit, in talibus
» asthmaticis interdum adest stertor, qui vulgo
» habetur signum infarctivum pulmonum; sed
» observavi, quod etiam in stomacho infarcto
» a tali muco talis adsit stertor. »

Hæc Ettmulleri sensa confirmat praxis : inter primaria asthmatis remedia ab auctoribus referri emetica, nemo ignorat. Instar omnium rursus sit Helmontius. « Quibus, inquit, propter vitam
» nimis sedentariam, anhelitus facile ad quem-
» vis motum interceptus est, eosdem sæpe et
» unico vomitorio liberavi : ita exinde confir-
» matus mansi, totam illius difficultatem ad sto-
» machi contermina loca situm esse ac insontem

» pulmonem haberi. » Ex hujus remedii usu colligere debemus, fomitem et focum mali in stomacho plerumque latere. Nec est quod quis emetica in his affectibus prodesse dicat ex eo, quod per concussionem et agitationem pectoris viscida materia vel quævis alia, bronchiis affixa, discuti ac dispergi possit; nam, præterquam quod rarum putem tam fausti eventus exemplum, quid dicent illi, qui hæc obtendunt, de catharticis ut v. g. de iis quæ ex gummi ammoniaco præparantur, aliisve quæ tam præsentaneam adferunt opem, quorum equidem effectus quomodo concussioni adscribi possint, prorsus non video. Adde quod et cætera antiasthmatica verosimilius vires suas in stomachum exserant, uti auctor rursum est Helmontius : « Non nego » quidem, dicit, sulphur apte resolutum asth- » mati subvenire; ast istud asthma non est hos- » pes pulmonis, quorsum ista sulphura non ha- » bent introitum, sed illius asthmatis nidus est » circa stomachum. »

INCUBUS.

Causam jam quærimus incubi seu illius affectionis, qua dormitantibus quasi opprimitur corpus et suffocatur, respiratio offenditur ac vox intercipitur cum insomniis, quasi pondus aliquod pectori incumberet; eam rursum in stomacho cruditatibus referto aut aggravato latere, non dubitamus. Hinc vesperi bene et laute pastis

supervenit et præcipue si in dorso jaceant, in quo corporis situ a superincumbente ventriculo descensus diaphragmatis magis impeditur et consequenter sensus quasi pectori incumbentis rei excitatur. De hac affectione sic disserit Helmontius : « Nemo medentum hactenus dubi- » tavit, quin ephialtes seu incubus suscitetur » a præcordiis. Advenit enim plerumque sumpta » durioris cibi largiore cœna vel alias laborante » stomacho; ideoque id contingit non quidem » cubanti latere dextro, sed tantum dormienti » in lumbis supino vel saltem latere sinistro, » dum scilicet pene dormitum est satis. Sentiunt » namque obscure; ratiocinantur; putant se ma- » nibus tangere et oculis videre, non tamen » se movere valent etc. »

PLEURITIS.

Quid jam de pleuritide dicamus? Mirabitur fortasse quispiam, si hanc etiam ad ventriculi consensum nonnumquam referamus; sed audiat ille historiam, quam hanc in rem memoriæ prodidit Andry, apud Parisienses doctor medicus celeberrimus. « Accersor, inquit [1], visurus ju- » venem viginti novem vel triginta annorum, » febri vehementiore correptum, cui conjunctus » erat dolor lateris punctorius cum sputo san-

1 De la génération des vers, dans la préface.

» guinis et respirationis insigni difficultate. Con-
» tinuo curationem a venæ sectione incipio, quam
» et die sequente reiterari curo. Tertio vero die,
» magno cum solamine ægri, provoco sudorem
» lenem. Die quarto levius se habere videba-
» tur; verum nocte inter quartum et quintum
» diem intermedia delirium supervenit, quod
» hora septima matutina cessabat. Quum vero
» adverterem, delirium hoc, præter morem,
» nullis præcedentibus signis, obvenisse, inqui-
» rere incipio num quæ forte apparerent lum-
» bricorum indicia : reperio equidem nonnulla
» in excrementis. Quamobrem postridie, qui
» erat sextus a morbo dies, non confugi rursum
» ad venæ sectionem, licet illa per pleuritidem
» indicari videretur, nihilque moratus ob pericu-
» losam eorum praxim qui numquam initio morbi
» purgationem adhiberi volunt, præscripsi, etiam
» reclamantibus aliis, potionem catharticam qua
» jam sæpius inusitatæ magnitudinis ac figuræ
» lumbricos depuleram. Una hora post sumptam
» potionem sentit in corpore æger nescio quam
» commotionem quæ, duabus horis producta,
» tandem desiit per excretionem viventis lum-
» brici [1] quatuor ulnis et tribus pollicibus longi,
» quamvis non integer prodiisset : resumpsit
» æger eamdem potionem duobus diebus postea,

1 Vide libr. jam citat. ubi ab auctore delineatus exhibetur.

» et reliqua pars, quæ in corpore manserat, » educta fuit. Lumbricus per quinque horas ve- » hementes edidit motus, et plus quam duodecim » horis supervixit. Quantum ad ægrum, melius » se habebat ut primum a lumbrico liberatus » fuit; postero, septimo scilicet a morbo die, a » febri liber erat ac die subsequente curatio tota » absoluta fuit. »

Plura ejusmodi exempla apud auctorem legere est, quibus doceamur, multas morborum species, quod minime suspiceris, a lumbricis et produci et foveri. Id ipsum testantur plures alii medicarum observationum fideles relatores. Ballonius [1], qui hic sit instar omnium, postquam dolorem lateris a lumbricis excitatum descripsisset, quærit an vermes id facere potuerint? « Ita prorsus, inquit, innumeras doloris species » excitare possunt in omnibus partibus, ac præ- » sertim si ad ventriculum repant. »

Si igitur vermes, in primis viis latentes, dolorem lateris imo talem, ut veram dixeris pleuritidem, excitare possint, quidni credam, materiam acrem vellicando, irritando, ac quovis alio modo ventriculum afficiendo, posse sæpe inducere pleuritides? Ex quo sequitur non statim ad venæ sectionem in pleuritide quasi ad unicam salutis anchoram refugiendum : « In- » credibile enim dictu, ait Ballonius, quam

1 Epidem lib. 1. 170.

» multos trita vulgataque medendi via, ac præ-
» sertim in pleuritide, perdiderit : nam audito
» lateris doloris nomine, si quis aliud præter
» venæ sectionem remedium tentet, ἀνάθεμα καὶ
» ἀπειρία ἔστω [1]. Imo, quod pertinet ad dolores
» lateris, nullus hodie non medicus est; quan-
» quam hic multorum carnificina et frustranea
» sanguinis eductio spirituumque evacuatio com-
» mittatur magno artis vituperio, ut etiam hac
» una medendi pleuriticis via bajuli, carnifices,
» sutores, ac universa mulierum garrulitas me-
» dicorum celebrium industriæ obstrepat ac sese
» opponat, imo si quis de latere queritur, quo-
» cumque id fiat modo, ne articulo horæ differre,
» ipsis fas sit. At non novit imprudens mulier,
» impudens barbitonsor, nugigerulaque mulier
» multis ex causis dolores laterum oriri in
» quibus, ut aliquando venam non secare in-
» faustum est, ita eamdem aperire, crudele,
» impium ac ignorantiæ plenum sit. Nam nulla
» est causa tam exilis tamque parum efficax,
» quæ non dolorem in latere excitet; at æquumne
» est, tamquam causa eadem sit ac idem malum,
» remedium idem usurpare, et omnibus eumdem
» cothurnum attribuere [2]?» Hæc Ballonius : quæ
nos excitare debent, ut distinguere addiscamus
quanam in pleuritide venæ sectio conveniat vel

1 Exsecratio et ignorantia habeatur.
2 Epid. lib. 1.

non. In vera pleuritide, quam semper adscribo spasmo et inflammationi membranæ pleuræ, quæ incipit cum rigore et horrore, quos excipiunt dolor lateris punctorius in dorso vel circa pectus, et præcipue circa jugulum ac partes supernas versus collum, tussis sicca, febris continua cum spiratione difficili, durities pulsus summa; in pleuritide, dico, prout a Sydenhamio describitur, cura venæ sectione liberaliori inchoanda est, etiam juxta mentem Hippocratis, in Coacis, prout refert Duretus: « Nam de pleuritide, ait magnus ille in Hippo-
» cratem commentator, cui summo jure deberi
» sectionem venæ clamant omnes sophistæ, illud
» præceptum est a dictatore summo, ei tantum
» pleuritidi jure et loco proptereaque convenien-
» ter præscribi, quæ attingit claviculam cum
» gravitate brachii atque ipsius mammæ, nec
» fotu mituit, manetque sicca ac sputi expers,
» ob eamque causam doloris ideam habet punc-
» toriam, magnitudine præacerbam, æqualitate
» similem et assiduitate gravissimam : quæ omnia
» conjunctam habent siccam tussim, febrim as-
» siduam cum spiratione multum difficili. Et
» quoniam in eo cruciatu sævi dolores pleuritici
» et summa difficultate spirandi omnia solent
» esse mortifera, nisi dolorificum malum, id
» scilicet quod intus lædit, exeat cito foras, hoc
» est systrophica inflammatio tunicæ costis in-
» tertextæ, hic venæ sectio et liberalis detractio

» sanguinis verum est alexiterium quo ipsi » pleuritici periculo defungantur. At si pleu- » ritis, prosequitur, infra sit, rheuma consi- » stens non detrahet phlebotomia, hic pharmacia » est opus quodammodo mochlica, qualem præ- » ceptor instituit ex peplio et veratro. »

Quæ omnia non modo Rulandi observationes, sed et plurimorum famosissimorum medicorum, tam in Germania quam Gallia, praxis confirmat. Qui indies felicissimo cum successu emetica in pleuritide præscribere non verentur, non tamen in quacumque, sed ea quæ oriatur vitio partium inferiorum et præsertim ventriculi, in qua dolor sit circa costas mendosas ac præcordia, doloresque teneant vagabunde nothas costas et continuitate membranarum tantum attingant costas, mammas et partes sterni anteriores, ac cruditatum plurima adsunt signa.

« Nec ullus arbitretur id sine ratione fieri, » ait Abraham Limburg [1], medicus Amstelo- » damensis : nam, sicuti respiratio difficilis sæ- » pius ab humoribus viscosis in stomacho aut » intestinis stabulantibus fovetur, ut nemo facile » negaverit, quæque curari non potest pectora- » libus nec syrupis nec linctibus, verum stoma- » chicis ac iis, quæ e primis viis educunt hu- » mores crudos, indigestos, auctores morborum » pectoris, ita simile judicium ferendum de

1 In aureo suo libello de vera Medicina.

» pleuritide, quæ eumdem agnoscit focum ac
» fomitem. »

Addiscant igitur hic, pleuritidem nonnumquam oriri ob ventriculi cum partibus thoracis consensum, adeoque præcipue stomacho prospiciendum. Quod etiam hujus sympathiæ ignari sæpius mihi videntur executioni mandare. Persuasum enim mihi habeo, pulverem antipleuriticum, dentem apri, mandibula lucii piscis ac alia absorbentia in primis viis potissimum effectus suos edere. Nec facile credidero, expectorationem promoveri per linctus ex oleo amygdalarum dulcium, spermate ceti et similibus, in quantum illa ad pectus ipsum accedant : credat hæc Judæus Apella, non ego.

EX VENTRICULO CORDIS AFFECTIONES.

Superest etiam, ut ostendam ventriculum noxam suam parti, in qua vita sedere communiter statuitur, cordi scilicet, communicare. Hunc consensum oculis quasi intueri datur in cardialgia, in qua etiam scholæ partem primario affectam statuunt orificium ventriculi sinistrum, ut pote maxime sensile; ita ut Helmontius dicat scholas coactas fateri, orificii stomachi teneritudinem sive nimis acutum, accuratum, ac præcisum sensum causare omnem pene animi syncopen. Modum vero explicat jam sæpius laudatus Wepferus, dum sic loquitur : « Orificiis

» ventriculi, pyloro scilicet et stomacho, ab
» objecto rodente aliterve vehementius afficiente
» læsis, cardialgia oboritur quam non raro
» lipothymia imo syncope concomitatur, cor-
» dis scilicet fibris diutius in systole constric-
» tis permanentibus, aut quasi atonitis a motu
» cessantibus; unde sanguinis motus vel immi-
» nuitur vel aliquando suspenditur, partes ca-
» lore influo defraudantur ac sæpe plurima mor-
» tis imago apparet. »

Hanc ob communicationem ac traductionem mali a stomacho ad cor fit, ut non infrequenter cardialgia sequatur ductum œsophagi, teste Ettmullero, ita ut dolor talis intra scapulas sursum ascendere videatur, utut inferius circa vertebras dorsi seu thoracis sit gravior illa quæ ascendit intra scapulas, et fit a spasmodica contractione et motione. His conformia sunt, quæ pluribus in locis habet Helmontius : « In syncope, in-
» quit, morte repentina, epilepsia, vertigine,
» apoplexia etc., scena peragitur circa orificium
» stomachi, ut hactenus nomen cordis meruerit
» et remediis stomachicis, repente oblatis, ægri
» plerumque restituantur. Adeoque præstigio-
» rum instar alibi fiunt et alio deferri videntur. »
Et alio rursum loco : « Quidquid physici, ait,
» de corde magni momenti perpendere umquam,
» id totum, velint nolint, stomacho commune
» fecere, ut cardiogmos, cordis morsus, car-
» dialgia dolorve cordis a stomacho, transmu-

» tativo atque mutuato nomine, deducta sint.» Pluribus aliis recensendis probationibus, ab auctoribus petitis, supersedeo, quandoquidem hæc mihi pro praxi videntur sufficere, ut quibus instructi possitis evitare, quod quondam in imperitos medicos scomma scripsit Ballonius [1]. « Defectiones animi ignara rerum medicarum » turba ad τὸ κακοήθες [2] aut ad occultum referre » solet, scobis unicornu mira exspectatione et » non exiguo sumptu salutem pollicendo; sed illas » induit adhæsus humoris tenuis, viscidi in pa- » rietibus ventriculi, quique obvius est in par- » tibus ventriculo vicinis. »

Si vero rationem tantæ sympathiæ quæratis, adeundi sunt duo maxime industrii nervorum distributionum indagatores Willisius [3] et Vieussens [4], quorum ille sic loquitur : « Quod ab » eodem gemino paris vagi trunco, unde nervi » cardiaci paulo superius oriuntur, etiam rami » stomachici procedunt, causa patet quare tan- » tam sympathiam cor ipsum cum stomacho ha- » beat, adeo ut majori hujus vellicationi illius » deliquium succedat. » Observarunt ac adnotarunt deinde curiosissimi hi anatomici quod a pari vago surculi ac fibræ numerosæ dimittan-

1 Lib. de mulier. et virg. morbis, cap. 8.
2 Malum morem.
3 Nerv. descrip. 85 et 90.
4 Neurographia.

tur, qui in cordis auriculas et vasa omnia sanguifera, cordi appensa, distribuuntur quæ, tamquam hederæ repentes, vasorum tunicas densissime obducunt easque pluribus in locis subeunt ac varie circumligant. Jam autem, quum nervus paris vagi totus fere impendatur in tunicas ventriculi, non est mirandum si, eo affecto, cordis motus variet, quum pariter afficiantur facile alii paris vagi surculi, per cordis et vasorum appensorum substantiam dispersi.

CAPUT DECIMUM.

DE VENTRICULI CONSENSU CUM QUIBUSVIS PARTIBUS ABDOMINE INCLUSIS.

Ostendimus in prioribus capitibus quomodo ventriculus partes a se longe remotas ac dissitas soleat in sympathiam trahere; hoc in capite examinabimus qua ratione vicinas et eodem ventre inclusas afficere et mala, quibus premitur, iis communicare soleat.

RATIONES HUJUS CONSENSUS.

Partem nullam ab hoc consensus periculo tutam ac immunem in abdomine latere posse, præter experientiam, ipsa ratio dictat. Omnibus enim et singulis abdominis visceribus tunicam extimam largitur peritonæum, testantibus id ipsum anatomicis omnibus solertioribus, et præcipue clarissimo nostro Verheyen [1]. Interna vero tunica ventriculi, non solum per œsophagum partem magnam largitur toti concamerationi faucium, sed per totum exporrigitur tractum intestinorum. Hisce adde, nervos omnes ab eodem

1 Anat. tractatu secundo, de partibus abdominis.

fonte derivari. Hinc est quod dicat Willisius [1] : « Quum paris vagi nervus præcipue ad præcor- » dia et stomachum, atque intercostalis ad reli- » qua imi ventris viscera propagines distribuant, » observare est, quod inter hæc omnia non modo » commercia quædam, sed sympathia et actio- » num passionumque consensus habeantur. »

Per anatomicam plexuum descriptionem et demonstrationem, quæ sit cujusque eorumdem cum aliis nervis, plexibus aut nervorum fasciculis communicatio, propter quam simul in diversis partibus sympathia oriatur, ita nitide exposuerunt Willisius ac Vieussens, ut nihil addi posse videatur : quare vos ad eos remitto, dum interea modo instituto meo conformi prosequor per experientias practicas, ab auctoribus assertas, consensum illum vobis ante oculos ponere.

CONSENSUS VENTRICULI CUM VISCERIBUS ABDOMINIS, IMPRIMIS LIENE.

Consensum magnum ventriculi cum visceribus abdominis, in specie cum liene, hepate, mesenterio, etc. pulchre proponit Ettmullerus, ubi ostendit, ventriculum esse partem primario affectam in hypochondriaca affectione : « Quam mille, » exclamat, differentibus vexantur accidentibus, » hypochondriaci ! O quam graviter ægrotant, » licet levi morbo ægrotent ! Causa omnium sto- » machus est. » Hinc dicit Lindanus *in Collegio*

1 In nervorum descript.

super Hartmannum : « Credite mihi, nam hoc
» vos facit praxis videre, morbi illi et vitia quæ
» passim obstructionibus mesenterii aliorumque
» viscerum attribuuntur, sunt revera effecta
» ventriculi imbecillis et non bene habentis, la-
» borantis scilicet cruditate vel corruptione im-
» primis acida. » « Corrigite igitur, pergit Ett-
» mullerus, ac roborate ventriculum; corrigetis
» sic omnes obstructiones ac tolletis omne ma-
» lum. »

Ex hisce colligere potestis unde tam famosæ sint apud auctores in hypochondriaca affectione lienis et hepatis obstructiones, easque subsequentes inflationes, quæ etiam tactu nonnumquam deprehendi possint : sufficit ventriculum laborare, ut pariter hæc laborent viscera. Nitide, more suo, hæc confirmat Willisius. « Nemo, in-
» quit, est hypochondriacus, quin abunde sentiat
» nervos splenicos quosdam motus perficere.
» Nam magnæ perturbationes istæ, quæ in latere
» sinistro excitari solent, uti quum modo infla-
» tiones, modo partium interiorum constrictiones
» ac interdum succussiones variæ cum dolore
» vago, hac illac excurrente, percipiuntur, sunt
» tantum spasmi et corrugationes, quibus nervi
» splenici passim afficiuntur, idque, mea quidem
» opinione, ob consensum tantum ventriculi. »
In quantum vero secundum eumdem auctorem plexus nerveus, lienem respiciens, cum ventriculo, mesenterio, hepate ac rene propinquius,

cum præcordiis aliisque partibus longe dissitis remotius communicat, hinc causa patet quare non modo singula isthæc viscera et partes propter lienis delicta plectantur, verum, et vice versa, cur lien, indispositus a morbo quovis, aut molestia in qualibet istarum partium excitata, perturbari soleat. Adeo non prorsus de nihilo est, quod symptomata ubivis infestantia, quum aliorum causa ignoratur, lieni adscribantur. Nolite tamen proni esse in accusandis obstructionibus a crassis, lentis viscidisque prædictis humoribus; crispaturas partium potius in scenam protrahite, sunt enim hæ frequentiores ac magis obviæ.

CUM HEPATE.

Ventriculi cum hepate consensum praxis quotidiana palam facit. In hepatis inflammatione nulla pars corporis ita afficitur ac ventriculus; et vicissim, stomacho patienti compatitur hepar. Convulso enim ac in spasmodicos rapto motus ventriculo, iisdem pariter afficitur hepatis parenchyma, potissimum tamen vesicula fellis; quare, vellicatione in ventriculo facta, bilis e cysti sua in duodenum effunditur, quæ deinde, spasmodica intestini contractione in ventriculum sublata, vomitu rejicitur. Rationem hujus rei videre licet apud Willisium, et præcipue apud Vieussens qui *in sua Neurologia* consensus hujus modum egregie elucidavit, dum ostendit quomodo ramulus paris vagi in plures propagines,

supernæ et anticæ stomachi parti prospicientes, dirimatur et extremi illius fines partim in pyloro, partim in pancreate, et partim in ductibus bilariis terminentur : item qua ratione a parte superna primi plexus ganglioformis abdominis, quem semilunarem nuncupant, ex sex fibris, quæ emergunt, tres inferiores ac minores vesiculæ felleæ, vasis choledochis, pyloro, intestino duodeno et pancreati impendantur, ut partium istarum ductus, (secundum eumdem auctorem) excretorios pro re nata constringant et veluti succutiant, quo turgescentes in iis succi, ut par est, in intestina protrudantur. Deinde superiores ac crassiores tres fibræ, e superna prædicti plexus semilunaris parte prodeuntes et arteriam hepaticam adinstar reticuli investientes, invicem coalescunt, sursumque tendentes una cum fibrillis quibusdam nervi dextri octavi paris, quibuscum communicant, nerveum plexum hepaticum constituunt, cujus interventu inter hepar et stomachum magna nascitur sympathia. Et hinc, pro eodem auctore, ratio deduci potest cur, ob vellicationem circa ventriculum factam, bilis e cysti fellea in duodenum emulgeatur et, propter ejusdem intestini spasmum, in ventriculum sublata vomitu rejiciatur. Nervi enim stomachi, a re quapiam moleste vellicati sursumque retracti, nervos, hepar, cystin felleam et ductus biliarios respicientes, ut pote sibi alligatos, adducunt et in consensum spasmi

versus superiora producti trahunt; ex quo fit, ut stomachus, primo lacessitus, corrugatione sua bilem ad se trahat et in proprium sinum projiciat. Imo, si bilis supra modum turgescens adeo acris sit ut, in duodenum illapsa, illius nervos vellicet, tunc, ventriculo in consensum tracto ejusque nervis irritatis, vomitus cholericus non raro inducitur.

Plura hoc ex auctore tam digno huc transferre volui, ne in praxi, cum medicis vulgaribus, in accusanda bile humoribusque biliosis, si eos vomitu forte ejici videatis, ita sitis faciles, quasi tota mali causa in eos humores refundenda sit, quum sint tantum effectus vel producta spasmodicarum contractionum, adeoque ad se primario curam dirigi minime velint. Dolendum profecto est quod, in re tam manifesta, ita turpiter hallucinentur medici, dum neglecta causa primaria, solummodo circa producta vagantur ac occupati sunt.

CUM INTESTINIS.

Pergamus nunc ad ventriculi cum intestinis consensiones. Magnum debere intercedere ventriculo cum intestinis commercium, patet viscerum illorum consideranti structuram ac situm. Unus enim idemque est continuus tractus ejusdem substantiæ similiter connexæ, a summitate gulæ usque ad extremum podicis hiatum; eadem ubique est continuata substantia membranacea;

eadem nullibi interrupta series fibrarum; ut nihil miri sit, si per totum illum canalem constans observetur non tantum harmonia ac consonantia, sed et condolentia et compassio; ex qua provenit, ut in dolore colico, ubi sæpe tantum pars aliqua istius ductus afficitur, per totum tractum sentiatur dolor. Quid? quod Harris, practicus in Anglia celeberrimus, dolorem colicum semper statuat effectum ventriculi : « Tunica, inquit [1], » ventriculi interior tota est nervea ac sensationi » inserviens, adeo ut, quum sæva aliqua tempe» stas in ventriculo oriatur, flatibus furibundis, » procellam suscitantibus, illico fremant propin» qui spiritus, facile in spasmos ruant, et tensio» nes, inflationes, intumescentiasque maxime » dolorificas cieant; proinde ventriculus, tum ex » fabrica sua, tum usu, sedes propria ac prima» ria torsionum illarum molestissimarum et sæpe » perniciosarum, quæ in colica excruciant, vide» tur stabiliendus. » Utut est, videmus equidem in praxi sæpe, dolores colicos sisti medicamentis v. g. opiatis, simul ac ventriculum attingunt.

Hanc propter sympathiam Hecquetus arbitratur, modum certissimum restituendi tonum fibris intestinalibus et sopiendi irritationes esse corroborationem fibrarum stomachi. Nam, ut testatur [2], fibræ stomachi et intestinorum in

1 De morbis acut. infant.
2 De la digestion.

eumdem prorsus tonum tensæ sunt, et hinc consonæ eumdem rhythmum sequuntur. Si stomachi fibræ relaxentur, ut fit in quibusdam indigestionibus, intestinorum etiam fibræ tonum amittunt et cadunt, fluxumque ventris causant: si vero fibræ stomachi a stimulo subsiliant vomitumque inducant, fibræ intestinorum eamdem prorsus sequuntur determinationem oscillationum villorum ventriculi, atque ita ejectiones intercipiunt; quapropter videas alvi profluvio sisti vomitum, et vicissim vomitu solvi diarrhœam. Similiter in ventriculi appendice inferiore sive intestinis, si molestia cum spasmo alicubi contingit, sæpe affectus iste, per fibrarum continuationem sursum obrepens, vomitum ciet. Hac de causa in morbo cholera, iliaca passione, aliisque intestinorum torminibus, vomitio excitatur et nonnulli, quibus viscera teneriora sunt, ab enemate immisso constanter vomunt. Evadit id quod contendimus manifestius in hernia completa, *bubonecele* dicta, dum, a compresso et quasi strangulato intestino, motus peristalticus ad inferiora vergens non modo intercipitur, sed reflectitur ac per totum tractum invertitur, ipso etiam ventriculo ad motum invertendum coacto. Eumdem consensum observavit Hippocrates, referente auctore *Aphorismorum ex libris epidemicis*: « Si in curatione chirurgica hæmorrhoïdum aut » fistularum ani vomitus accedat, difficultatem » curationis et malam tolerantiam significat, at-

» que adeo læsa esse intestina, per consensum » cum podice, et ventriculum, per consensum » cum illis. » Concludamus ventriculi totiusque canalis intestinorum consensum esse maximum.

CUM RENIBUS.

Progredimur ad renes. Ventriculi cum renibus sympathia stupidissimis etiam innotuit practicis; viderunt enim a calculo aut nephritide quacumque frequentissimos oriri vomitus. Pulchre, ut cætera, hunc affectum describit Wepferus [1]: « Si calculus, inquit, asperiusculus et angulosus, » relicta parte carnosa renum, seu avulsus a ca- » runculis papillaribus, illorum in pelvim de- » scendat, per ureteres ad vesicam protendi in- » cipiat, non solum sævissimos cruciatus etiam » minor excitat, nisi ureteres a pluribus præ- » gressis calculis dilatati fuerint, verum etiam » vomitus movet seu adiguntur fibræ circulares » ventriculi in contractionem ad ejicienda ejus » contenta. Quare inter signa diagnostica nephri- » tidis refertur aliis symptomatis junctus vomi- » tus. » Pluribus probari non debet, rene affecto, etiam affici stomachum : ast ut, rene affecto, affici videmus stomachum, ita conjicere liceat, stomachum mala sua vel bona renibus vicissim communicare. Remedia equidem, quæ in nephritide maxime proficua deprehenduntur, in

1 De cicut. aquat.

stomachum præcipue vires suas ac, mediante eo, in renes exserunt. Non enim facile quis crediderit, oleosa illa anodyna, vulgo dicta relaxantia, subire renum tubulos, quum minime necesse sit: si enim, stomacho irritato ac convulso, similiter afficiatur ren, eccur statuere non licet, stomacho rursum a crispatura liberato ac remisso, similiter, ob consensum, membranosam ac tubulosam renum substantiam nonnihil remitti et sic doloris sentiri minus?

CUM UTERO.

Superest, ut ventriculi cum utero sympathiam demonstrem, sed breviter tantum, pluribus acturus capite *de consensu uteri*. Si ab utero laborante plura contingant ventriculo incommoda, ut suo loco dicam, non est dubitandum quin, ventriculo patiente, pati debeat et uterus. Idem sensisse videtur Hippocrates dum ait [1], « Nihil » magis experimento compertum esse quam, la» borante utero, statim etiam ventriculum et » nauseare ac everti, et, quum ventriculus dolet, » nisi exiguus admodum dolor sit, uterum etiam » paulo post dolere. » Et alio loco [2] : « Quæ ute» rinis morbis tenentur aut ex suppressione » menstruorum ortis, magnopere solent juvari » vomitibus, quia cum utero magnopere con-

1 De epidem. sect. prima.
2 Conf. auct. aph. cit. centur. X. 52.

» sentit ventriculus. » Barbette equidem, in *Praxi sua*, non citra rationem, judice Ettmullero, causam suppressionis mensium in stomacho radicatam dicit. Idem videtur evincere subitaneus, qui sæpius observatur a remediis uterinis, effectus. Affirmat Helmontius se observasse, mulieres in partu difficili et aliquot dies periculoso, oblato poculo mox, ad summum ante semihoræ spatium enixas, idque ducenties et amplius probatum. Pharmaco nimirum adhuc existente in stomacho, apertum est os pubis et vulvæ ossis sacri in lumbis, fœtusque statim propulsus. « Notavi scilicet, inquit, stomachum claves uteri » gerere, hocque medicamen lubens in bonum » proximi evulgavi, ne deinceps parturiens peri- » culum vitæ subeat. Est autem jecur simul cum » felle anguillæ siccatum pulverisatumque in vino » epotum ad magnitudinem avellanæ. Donum Dei » in hoc simplici. » Imo, quod plus est, ex Hippocrate collegit Auctor *aphor. epidemicorum*, quod ventriculi os cum genitalibus ipsis sympathiam habeat [1].

1 Centur. VIII. 63.

CAPUT UNDECIMUM.

DE VENTRICULI CONSENSU CUM PARTIBUS EXTERNIS CORPORIS, CUTE, ARTICULIS, ETC.

Ettmullerus, in doctissima Dissertatione *de virtute opii diaphoretica*, dum totus occupatur, ut ostendat quomodo opium sudores ordinarie provocet, quum alias quascumque communiter sistat evacuationes, consensum ventriculi cum partibus externis ita elucidavit, ut solus ille mihi hic sufficere posse videatur. « Varias inter par-
» tes, inquit, quibus consentire solet cutis,
» specialem sui considerationem merentur præ-
» cordia, hoc est, ista abdominis pars quæ ex-
» trinsecus quidem regione epigastrica, ut ex
» parte hypochondriaca, circumscribitur; intrin-
» secus vero stomachum imprimis complectitur,
» prout hodie hæc vox accipi solet, et a Celso [1]
» imprimis fere describitur. Quamvis enim doc-
» tissimus Fernelius [2] præcordiorum nomine
» ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lie-
» nem, pancreas, omentum aut mesenterium

1 Lib. 2. cap. 3.
2 Lib. 4. cap. 10.

» simul complectatur, tamen ventriculo, ob » eximium sensum et manifestum ejus cum » cæteris partibus membranaceis consensum, » primario præcordiorum appellatio convenit, » ipso ejus orificio, communiter superiore dicto, » *cardia* veteribus appellato; unde et Celsus » præcordiorum dolorem stomachi infirmi indi» cium asserit. » Ex his Ettmulleri dictis inposterum colligere potestis quid nomine præcordiorum intelligendum sit. Hæc porro præcordia, ut ex Fernelio citat Ettmullerus, et partes omnes quæ circa ipsa sunt, quia membranis sepiuntur nervosque sentientes suscipiunt, eximio tangendi sensu prædita sunt. Magna etiam societate tum principibus, tum externis corporis partibus eadem præcordia connexa sunt iisque adeo consentiunt, ut affecta mox principes partes universumque corpus in consensum trahant. Sic enim vinum meracius liberaliusque bibitum, tametsi ventriculo nondum elapsum sit, mox tamen exulceratæ vesicæ, aut vulnerati cruris, aut arthritidis dolorem exasperat. Ex hisce sedibus febrium horrores rigoresque, in quibus cutis manifeste afficitur, suscitari, eleganter ex Fernelio docet Ettmullerus in fine prædictæ Dissertationis, quemadmodum fusius referemus capite sequenti. Hic pauca tantum ex laudatissimo illo trium regum Gallorum Archiatro juvat prælibare : « Frigidæ potus, in» quit, liberalior corpus universum frigore hor-

» roreve concutit; bilem vomiturus rigescit, mul-
» toque magis qui alienum vitiosumque cibum,
» velut fungos, sumpsit et, cui calidum mor-
» daxque medicamentum ventriculum ac præ-
» cordia ferit non minus, quam si nudam cu-
» tem aut ulcus acrius compungat.» Plempius noster, *in suis Institutionibus* examinans cur, sumpto cibo, frigeamus dicit, verosimilius ab alimentorum frigore id effici, quod ventriculum deinde, ob partium continuationem et externa membra, afficit. Videmus equidem a potu frigidiore sæpius horrore totum corripi corpus, a sumpto vero potu calidiore mox sudore perfundi. Idem advertit Fernelius, dum eodem loco ait, sudores non solum e corporis habitu, sed et interdum e præcordiis moveri. Hinc sciri potest quod, qui vel exercitatione vel solis ardore exæstuant, si frigidam liberalius bibant, mox toti sudore diffluant : non mehercule, ut ait, quia aqua in corpus disjecta aut diffusa (diu enim postea sentitur huc illuc fluctuare in ventre); sed ab ejus halitu ab æstuantibus præcordiis in omne corpus effuso, qui demum in sudorem concrescit. Verum quidem est, hunc modum phænomenon istud explicandi cum perfectiori, quæ hodie dum habetur, œconomiæ animalis cognitione, non cohærere. Sed notandum est a nobis, in hoc tantum auctorem illum adduci, ut pateat virum illum magnum, sudorum, perfrigerationis, horroris rigorisque fontem et origi-

nem in præcordiis quæsivisse, quidquid vir ille senserit de modo quo illa inde derivarentur. Hoc igitur certum cum Ettmullero habeamus, ad eum modum, quo afficiuntur præcordia, habitum etiam subcutaneum per consensum multipliciter affici, ad sudoris transmissionem magis minusve disponi. Id quod confirmatur per medicamenta diaphoretica, quæ constat sudores sæpius prolicere per hoc tantum, quod agant in stomachi nervosam, sensilem ac toti generi nervoso consentientem membranam. Sic videmus aliquoties sudorem copiosissime provocatum a propinatis, sejunctim quidem sed immediate una post aliam, solutionibus salis tartari et salis ammoniaci. Nimirum simul atque in ventriculo hæc simul concurrunt ac sociantur, sal volatile ammoniaci, sui juris factum, impingendo ac afficiendo ventriculi tunicas per consensum totum afficit genus nervosum.

Quodsi experientias practicas passim consulamus, eumdem ventriculi cum partibus subcutaneis consensum ubique deprehendimus. Videmus enim, secundum ventriculi affectiones, sudores non modo prolici copiosius vel retineri, horrores et rigores ac horripilationes subsequi, sed et convulsionibus maxime horrendis (prout demonstratum fuit, ubi actum de venenorum actione) artus omnes quassari, potissimum tamen in infantibus, quorum omnes fere convulsiones e stomacho excitari, auctor est Baglivus.

Observare etiam est, dolores stomachi majores desinere in convulsiones vel artuum resolutiones; ut non mirum sit, Baglivum advertisse arcanum quemdam ac inexplicabilem consensum inter morbos ventris et morbos cutis. « Dolo» rem colicum, inquit, vidimus mutatum in » arthriticum, et e contra dolores arthriticos per » supervenientem colicam aut diarrhœam solu» tos. » Helmontius originem arthritidis seu podagræ ex stomacho deducit : « Podagrici enim, » ait, accusant stomachum, seque ibidem pri» mos sentire motus ac veluti agitationes febriles, » tamquam præcursores accessus. » Ejudem est fere opinionis Hofmannus *in notis suis ad praxim Poterii.* « Arthritidis, inquit, fomes et minera » sæpius latet primis in viis; quare etiam, sub ac» cessionem, quandoque percipitur dolor, æstus, » inflatio regionis stomachi, quo tempore infu» sum laxativum, educendo pravorum humorum » saburram, in momento ferociam dolorum, in » pedibus subortam, mitigare solet. » Martianus scribit vomitorio, omni mense exhibito, a dolore arthritico felicissime præservationem fieri: et in ejus commentario in Hippocratem adnotatum est, quamplurimos podagricos, ob acorem in ventriculo peccantem, dolore corripi suevisse liberatosque aut saltem mitigatos esse, ubi acetosa evomuissent. Arthritidem annuam vomitu et diarrhœa solutam habemus in Decuria I. A. VI et VII. Miscell. Nat. Curiosor.

RATIO HUJUS SYMPATHIÆ.

Porro insignis hujus sympathiæ, ventriculi cum partibus externis, ratio peti potest a commercio illo nervorum a spinali abeuntium ad partes externas cum nervo intercostali ex pari vago. Minus difficilis ejus rei erit ratio, si credimus iis qui affirmare non verentur, tunicam internam stomachi continuatam constituere telam cum cute externa, quod non adeo absonum videtur, quum non appareat ubi in labiis, ad quæ non minus tunica interna stomachi quam cutis perrepit, sit observabilis earum separatio.

CAPUT DUODECIMUM.

PRÆMISSA GENERALI FEBRIUM IDEA, OSTENDITUR, EARUM FOMITEM IN VENTRICULO SÆPIUS HÆRERE.

Ut facilius intelligi et percipi possint ea, quibus probaturus sum focum ac fomitem febrium sæpissime in ventriculo latere, necessarium judicavi pauca quædam de febrium natura ac indole præmittere, atque adeo nostram de febribus sententiam palam facere.

REJICIUNTUR ORDINARIÆ DEFINITIONES.

Incipiamus, more scholastico, ab ipsa definitione. Numquam, fateor, placuerunt mihi definitiones, in quibus affectiones non describuntur simpliciter, sed semper nescio quid causæ fictitiæ aut supposititiæ adjicitur. Quid, quæso, facit ad febris cognitionem, quod in definitione ejus poni soleat humorum putredo, Archei accensio, calor præternaturaliter in sanguine accensus, fermentatio præternaturalis, ebullitio quædam ac effervescentia, aliaque hujusmodi febrilis causæ figmenta? Etenim, quum definitio hoc præstare debeat, ut clare et distincte, quoad fieri potest, percipiatur res definita, nulla, mea

quidem sententia, cujuscumque morbi effingi poterit aptior definitio, quam ea, in qua graphice describitur tota illius symptomatum ordinariorum historia.

SUBSTITUITUR HISTORICA DESCRIPTIO.

Secundum hanc methodum, hanc ponimus nos, pro febris definitione, descriptionem. Febricitans est, in quo præter morem est pulsus frequentia perpetua et constans, lassitudo spontanea, intensio caloris præternaturalis, saltem post horripilationem aut frigus ingruens, sitis aucta, linguæ ariditas fauciumque siccitas, capitis, dorsi ac lumborum dolor, urinæ rubedo etc. Hæc sunt ordinaria febris symptomata, quæ propterea ad ejus quasi definitionem potissimum spectare arbitramur. Hæc igitur quum adsunt, facile judicabit medicus, adesse febrim. Observandum tamen, in omni omnino febre syndromen illam enarratorum symptomatum non haberi; quandoque pauciora ingruunt. Est tamen unum quod numquam abest, nempe pulsus solito frequentior : febris indivulsum comitem esse pulsum frequentiorem, nobiliores passim sentiunt auctores; duos præ cæteris proferemus. Hermannus Boerhave, Leidensium illud illustre decus, «Sola » velocitas pulsus, inquit [1], adest omni febris » tempore, ab initio ad finem, eaque sola medi-

1 Aphorismo de cognoscendis et curandis morbis 570.

» cus præsentem febrim judicat. » Sylvius, alterum ejusdem scholæ medicæ lumen, « Hoc unicum, ait [1], febri omni, soli, ac semper competens signum est, adeoque pathognomonicum, pulsus scilicet naturali frequentior, quo præsente febrim adesse, absente autem abesse certo pronuntiari queat : nec enim aliud signum, quod competat omni febri et semper, innotuit practicis. »

FREQUENTIÆ PULSUS CAUSA PROPONITUR.

Si pulsus frequentia necessario cum febri ita conjuncta est, ut, ea posita, ponatur et febris, illaque sublata, hæc quoque desinat necesse sit, recte sequitur, causam proximam frequentiæ pulsus causam quoque proximam febris existere. Hanc causam ut felicius detegamus, propius intueamur ipsius frequentiæ pulsûs essentiam. Pulsus frequentia consistit in eo, quod cordis arteriarumque systoles seu constrictiones se mutuo celerius subsequantur, ictus eorum ingeminentur ac quasi duplicentur, atque ita crebriores ac celeriores reddantur. Hoc igitur quæritur, quomodo fiat, ut cor vasaque sanguifera ad motus sollicitentur ac impellantur solito frequentiores? Nos ad stimuli quamdam speciem id referre non dubitamus. Incitamenti et stimulorum plura quidem sunt genera ususque majores occasio-

1 Prax. med. lib. II.

nes; vix tamen ea, nisi ab irritatione vel obice aliquo, nasci in corpore nostro observabis [1].

DUPLEX SPECIES FEBRIS, RESPONDENS DUPLICI STIMULORUM OPERATIONI.

Stimulorum in corpore duplex observatur operatio : alia est, qua partes seu fibræ corporis constanter contrahuntur ac convelluntur; alia vero, qua motus earum concitantur ingeminanturque. Huic duplici operationi correspondet duplex species febris : vel enim totum vasorum systema vibrationes edit crebriores, nimirum dum cor arteriarumque rami majores systoles reduplicant suas, respondent vasa quæcumque capillaria minima, oscillatorios suos una ingeminantes motus, adeo ut fluida, quæ ante sensim ad cor ferebantur, jam violenter ac impetuose ad ventriculos ruant, seu potius abripiantur: atque hæc est species prima. Altera est, ubi quidem cor ac arteriarum rami majores frequentioribus ictibus feriunt fluida, verum capillaria minima a stimulo constricta ac spasmodice affecta eorumdem intercipiunt cursum, adeo ut sanguis in majoribus vasis accumulatus renisu suo efficiat cordis vasorumque majorum vibrationes frequentiores.

1 In aureo hoc Regæ opere mille passim occurrunt argumenta, quibus patet illi et *stimuli* et *irritationis* claram distinctamque fuisse ideam. Definitiones autem vid. ap. Broussais, prop. 1, 2 et 7.

FEBRIS SUBJECTUM SUNT PARTES SOLIDÆ.

Antequam hanc de febri digressionem abrumpamus, dicendum etiam videtur quodnam in hoc systemate nostro sit febris subjectum; hoc enim quum plerique medici ignoraverint, non est mirandum si naturam et indolem febris non citius detexerint. Secundum jam dicta omnino tenendum videtur, subjectum febris non esse aliud quam partes solidas atque imprimis nervosas ac membranaceas, siquidem in hæc tantum stimulorum actio intelligi possit. Hoc posito, colligimus, quo fibræ sensibiliores et ad motum et impulsum majorem suscipiendum magis pronæ sint et inclinatæ, eo corpus magis ad febres esse proclive. Patet ex eo quod febribus obnoxii sint plerumque homines sensibilioris texturæ, activioris ingenii, quorum cutis facili ex causa horrorem vel dolorem percipit, item qui ætate juvenili vel virili sunt, quod eorum fibræ omnem motum facile suscipiant. Idem nos docent passiones animi, curæ, sollicitudines, vigiliæ, dolores acerbiores, inflammationes majores, vulnera, fractura, punctura tendinis, spina infixa; quæ febrim inducere non possent, nisi afficiendo partes nervosas ac membranaceas.

SUBJECTUM PROXIMUM NON EST SANGUIS.

Quapropter mirari hic subit quomodo passim medici subjectum febris usque adeo in san-

guine ponendum esse duxerint, ut de eo ne dubitare quidem fas esse, fuerint arbitrati. Ex quo numero fatendum est, fuisse clariss. nostrum Verheyen piæ memoriæ; sic enim loquitur libro *de febribus* : « Nolo autem hic dispu-
» tare quidnam febris subjectum statui debeat,
» quanquam id ipsum video a multis factita-
» tum. Etenim, sicuti omnes mecum admittunt,
» febrem consistere in quodam sanguinis vitioso
» motu, ita etiam admittere debent, proximum
» ejus subjectum esse eumdem sanguinem aut
» saltem particulas illum constituentes; remo-
» tum omnes corporis partes quas sanguis cum
» motu febrili perfluit. » Quasi vero cordis arteriarumque motus vitiari non posset, licet sanguis sit bonus! Aliud certe docet sensibilitas [1] magna ac teneritudo summa partium solidarum quæ, quacumque de causa irritatæ aut moleste affectæ, oscillationes suas augmentant immutantque; nec video (quidquid dicant celeberrimi medici Verheyen, Bellinus pluresque alii) quomodo negari possit, si quis modo animadvertat, pulsum posse immutari, licet non sit vitium ullum in sanguine.

1 *Sensibilitas* nobis definitur : Illa proprietas vitalis, qua stimulus, a substantia nervosa acceptus, percipitur ac reflectitur. Hanc, etiam ante Halleri ætatem, auctorem nostrum non fugisse, ex hoc loco constat.

Quid igitur? An nos arbitramur in febre laudabilem semper existere sanguinis diathesim? Nequaquam. Sæpe fluida vitiata agnoscimus; verum vitium illud a solidis contraxerunt. Si in febri inordinatus sit sanguinis motus; si intensiores sint sanguinis et humorum agitationes et commotiones, illæ unice a solidis, motibus anomalis abreptis, dependent. Quid, si etiam demus, sanguinem aliunde quam a solidis nonnumquam forte infici? Non tamen continuo sequitur, causam proximam vel subjectum febris in fluidis esse ponendum : hoc enim casu, non aliter inducere febrim intelliguntur, quam ut occasiones et stimuli, quibus motus cordis et arteriarum augeantur et concitentur. Sic, exempli gratia, ponamus sanguinem nimia quantitate excedere, ut facile contingit ab insensibili transpiratione impedita, tali in casu a nimio volumine, ac proinde a majori fluidorum resistentia, vis contractilis [1] solidorum augeatur, contractiones eo-

1 *Vis contractilis*, neotericis *contractilitas*. Est autem illa vitalis proprietas, fibris communis, quæ harum contractione, stimuli actione determinata, innotescit. Sensibilitatem et contractilitatem sub irritabilitatis nomine recentiores nonnulli, at nostro judicio minus accurate, confundunt. Quoniam ens, quod clare sese menti offert nec ullam contradictionem involvit, negare absurdum. Talis autem est sensibilitas quæ, tamquam contractilitatis prædispositio,

rum increbrescant, majori vi percutiant resistentia fluida, vis eorum et systole multiplicetur, necesse est.

QUÆRITUR UBI STIMULUS, FEBRIS PRODUCTOR, LATEAT.

Etsi igitur fluida, ratione stimuli, sint nonnumquam causæ occasionales febris, frequentius tamen, mea quidem opinione, stimulus ille, febrium productor, extra viam circuli in hoc vel illo residet viscere, hanc vel illam obsidet partem nervosam, et in sensibili quodam hospitans loco, per consensum, totum reliquum systema nervosum ac consequenter vasorum genus universum afficit.

OSTENDITUR, EUM ORDINARIE IN VENTRICULO NIDULARI.

Hic jam vero locus quis est? hæc pars sensibilis ac nervosa? viscus illud notabile? Certe quotidiana praxis et medicorum auctoritas hunc esse sæpissime ventriculum, non sinit dubitare, id quod jam, redeundo ad materiam nostram, demonstrare suscipimus.

Inter auctores omnes dignissimus mihi videtur Baglivus meus, qui cæterorum chorum ducat. « Febres, inquit, quæ cum magna syncope, singultu aut vertigine incipiunt, vocantur a medicis syncopales, singultuosæ et vertiginosæ : harum curatio inchoanda est statim vomito-

in intellectum distincte assurgit, et stimulus veluti ejusdem occasio. Nihil igitur impedit quominus distinguantur.

» riis; nam fomes febrilis in ventriculo latet;
» humor scilicet acris et erodens qui, tunicas
» ventriculi vellicando et afficiendo, per consen-
» sum cor, diaphragma aut caput offendit; unde
» præfata symptomata. Vomitorium, in hisce fe-
» bribus mihi familiare, est oleum amygdalarum
» dulcium cum aqua tepida : vomitu peracto
» dilutisque per eum acribus salibus, statim
» utor testaceis dulcificantibus et emulsionibus
» cum sero lactis vel decoctione florum violarum,
» et ita feliciter sanantur. In febribus, prosequi-
» tur, vel aliis quoque morbis, qui cum magna
» anxietate incipiunt, ægri inquieti sunt, loco
» stare nesciunt, hinc inde per lectum agitan-
» tur, et præfatus acris humor, tunicas ventri-
» culi afficiens, (unde tot mala) accusari quoque
» debet : unicum remedium in talibus anxieta-
» tibus et inquietudine est vomitivum antimo-
» niale ex croco metallorum cum vino vel aqua
» tepida et oxymelle scillitico; nam, absoluto
» vomitu, statim liberatos videmus, multo magis,
» si cardialgia et affectibus stomachi sensibiliter
» lædatur patiens. »

Præter experientias quotidianas, quæ mihi in praxi occurrunt, veritatem hujus expertus sum in matre mea dilectissima quæ, ex esu perdicum et pingui intinctione panis albi in butyro excrementisque hujus avis, incidit in febrim, quam nuncupare licebat malignam, quum ab initio anxietates et inquietudines summæ, pulsus

inæqualis, imo delirium adessent, ita ut ego aliique in consilium una vocati medici de salute ejus omnino desperaremus. Ultimam vero salutis anchoram rati emeticum, illud exhibuimus tam felici cum eventu, ut aliquot horis post vomitum rem salvam declararemus, ubi aliquot ante horis nullam spem salutis superesse, tristissimi statueramus. Unde didici cavendum, ut ait Ballonius [1], ne temere initio febrium, observata aut inæqualitate aut intermissione quadam in pulsibus, ad venenum aut θεῖον recurramus, magnum aliquid nos dicturos rati, si Divinitatem quamdam in morbo hoc vel illo dixerimus esse. Ast sæpe una ventriculi oris superioris obsidio, propter contumaciter aliquid pituitosum adhærens illi parti, hoc symptomatum genus juniores et inexpertos medicos perterrefaciens invehit. « Corpus inter vomendum, inquit Galenus [2], est » convulsum, et simul ut evacuata est ærugo, » protinus febris et convulsio cessarunt. » Idem confirmat Ettmullerus *in sua Praxi* : « In do- » lore, inquit, capitis, vigiliis, et deliriis no- » tandum, sæpius dolorem capitis febrium con- » tinuarum, imprimis benignarum, esse, saltem » per consensum stomachi vel primarum via- » rum, saltem in principio ; cujus ratio exinde » desumitur quod, vomitorio in principio morbi

1 Lib. 1. cons. 59.
2 In 3. aphor.

» dato, ut præcaveantur omnia fere præcordio-
» rum symptomata, item speciatim cephalalgia,
» quam intensa etiam ante fuerint. »

Quid? quod auctores plerique febrium epidemice grassantium contagiosarumque sedem in stomacho ponant. In Tractatu *de febribus* sic loquitur doctissimus idem Ettmullerus, ubi agit de contagio : « Quod afficiatur stomachus, patet » ex eo, quod tales, ubi alias nullam sentiunt » infectionem, conquerantur tamen de quadam » molestia in orificio ventriculi superioris, quam » molestiam sæpe insequitur nausea, quæ nau- » sea, si superveniat, bonum signum : innuit » enim stomachum insurgentem contra maligni- » tatem. » Et certo recte dicit Lindanus, in constitutione epidemica hoc observandum esse, neminem nauseare (nisi forsan hoc fiat ex ingluvie), nisi qui miasma contagiosum acceperit, a quo ventriculus irritatus nauseet; unde etiam subito, præsente tali nausea, provocandus est vomitus, ut succurratur naturæ nauseanti. Afficit autem contagium stomachum, quatenus aër haustus salivam inquinat quæ, ita inquinata subinde per gulam descendens, stomachum afficit. Cur potius non dicamus, quod ipse aër stomachum subeat, non video. Helmontius clare percipiens, in morbis endemicis stomachum primario affici, in libro *de inspiratis*, arbitratur, quod aër odores ad stomachum deferat per diaphragma transiens; hinc enim, ut ait, omne endemicum natum est affi-

cere immediate convexum stomachi.... Sic nempe pestis, pro illo, cum endemicis inspiratis circa stomachum primordialiter plerumque furiunt.... Tussis ergo, asthmata, vomicæ, palpitationes ac plurimæ anxietates ab endemicis supra stomachi convexum impressis occasionaliter pendent. Verum liceat nobis ab Helmontio dissentire de modo quo stomachus a contagio afficitur, et consentire in eo, quod punctum rei est, quod afficiatur. Pestis enim, per inspiratum anhelitum introducta, plerumque circa stomachum cuditur, idcirco vomitus, dolor capitis, sopor etc., stomachum affectum incusant, ut satis luculenter evincit Helmontius [1]. « Alio loco etenim notavi, » inquit, plerumque pestem circa stomachum » prima sedilia locasse. Quidam enim, continuo » vomitu dejectus, dolorem capitis ingentem sen- » sit, ac mox delirium, deinde et soporem per » intervalla passus, sedecim horarum spatio obiit » multis deliquiis præviis. In cadavere inveni, » ait, stomachum illius triplici eschara jam per- » fecta pertusum, qualem olim videram sto- » machum ancillæ perforatum, quæ volens bibe- » rat arsenicum. » Id quod confirmari posse videtur per opinionem Bartholini, magni istius Hafniæ medici [2], qui asserit, quod ex febribus malignis ardentibus demortuis semper in ventri-

1 In Tumulo pestis.
2 Centur. hist. 68. Item 80. epist. 42.

culo eschara, vel inflammatio, vel sphacelus, vel similes affectus in stomacho observati fuerint, licet etiam alia viscera interna reperiantur similiter interdum sphacelata. « Præterea, ait Ettmullerus, loco prædicto, esus ciborum corruptorum, nonnihil putridorum, subinde etiam esse solet causa, ut oriantur febres malignæ. » Borellus febrem malignam epidemicam, ex esu carnium bestiarum ægrotantium obortam, notat [1]. Epiphanius Ferdinandus notat [2] febrem malignam lethalem ex esu fungorum. Item febrem malignam petechialem ex esu cicutæ cum oleribus recentibus notat Simon Pauli, in elegantissima sua Digressione *de febribus malignis*. Et similia plura videri possunt apud auctores.

Ex quibus omnibus deduci potest, febres malignas ordinarie foveri vitio stomachi, scilicet inflammati etc. vel cruditatibus humoribusve acribus obsiti. Si enim potuerit nasci febris maligna ex incongruis assumptis, non video quare assumpta, male chylificata et in cruda conversa, eamdem non sint nata excitare tragœdiam. Inflammatoriam illam ventriculi dispositionem in febribus sæpius subesse, quam vulgus medicorum arbitretur, ostendit Hofmannus, in Academia Fridericiana Professor, in Dissertatione sua doctissima ac utilissima *de inflammatione ventri-*

1 Cent. 2. observ. 32.
2 Hist. med. 2.

culi. Quare non incongruum omnino judico, febris ardentis ex inflammatione ventriculi ideam aliquam dare.

DESCRIBITUR FEBRIS EX INFLAMMATIONE VENTRICULI PRODUCTA.

Typhos sive febris ardens, ab inflammatione ventriculi pendens, conjuncta hæc solet habere symptomata : vomitum, singultum, tensionem, et dolorem in tota ventriculi regione, atque in scrobiculo tamen præcipue, ut in cardialgia, calorem, jactationem; inquietissimi sunt ægri, anxii, jactantur, tremunt manibus, mœrent, acri humore os ventriculi irritante; unde linguæ ariditates, item extremorum frigus; omnium sæpissime adest lipyria, ubi interiora uri videntur, exteriora vero frigent. Et Baglivo signum præcipuum est, rerum nimium calidarum per os sumptarum nulla in ventriculo percepta caliditas, et dolor ventriculi acutissimus cum magna febri. Oritur ordinarie a rebus non naturalibus, in specie ab ira, potu frigido, venenis, aëris contagio : hinc est, quod inflammatio hæc maxime socia sit pesti, variolis, petechialibus febribus, podagræ retropulsæ, febribus ardentibus et inflammatoriis. Hippocrates hunc morbum percepisse videtur, dum ait [1], « In febribus circa » ventriculum fortis æstus, cordis morsus vel » dolor, malum. » Veritatem autem hanc cada-

1 Lib. IV. Aph. 64.

verum sectio stabilit, in quibus satis frequenter in stomacho febribus his exstinctorum sunt maculæ plures, jam nigræ, jam rubræ; ventriculus deprehenditur rubicundus lividusque, variis, modo rubris, modo nigris maculis distinctus, et vasa sanguinea capillaria, perreptantia eum, multo sanguine turgida sunt. Quandoque orificium sinistrum macula lata nigra notatum est, maxime tamen fundus est inflammationi expositus. Jam autem eadem omnino fere reperire est in stomacho eorum qui venenis exstincti sunt; hæc tamen agunt, ut ante dictum, inflammando etc.

Hæc obiter hic dicta sint, ut secundum ea praxim vestram dirigere possitis. Si febres continuæ, imo ardentes malignæ, nonnumquam ex cruditatibus humoribusque peccantibus in primis viis, sæpius ex inflammatoria ventriculi dispositione dependeant, videtis diversa omnino methodo frequenter procedendum, ut febres illæ tuto semper superari et profligari queant [1].

QUOMODO SIT CURANDA FEBRIS EX VENTRICULO PRODUCTA OSTENDITUR.

Baglivus, in inflammatione ventriculi et ex ea orta febri ardente, ut sanguis statim mittatur e

1 Ex huc usque relatis meridiana luce clarius constat, doctissimum apud Lovanienses Professorem hic agere de febribus proprie dictis seu essentialibus, quas deducit vel ab irritamento qualicumque inhærente ventriculo, vel a sensilissimi hujus organi inflammatione. Nonne doctrina hæc ad nostrum ævum pertinere videtur. Conf. Broussais, Prop. 112, 113, 130, 131 et 137-144.

brachio, quacumque hora, imperat; nam si differas, inquit, metus est ne desinat in abscessum et gangrænam. Post sanguinis missionem statim desinere vidit tensionem partis dolorosam atque oscillatoriam solidorum crispaturam : et, si morbus minime cedebat, eadem repetita sanabatur æger. Sydenhamus, magnus ille practicus ac auctor celeberrimus, dum viveret, debellator febrium dictus, pro cura febrium continuarum tam putridarum, ut vocant, quam ardentium, malignarum etc., vult omnino sollicite seduloque inquirendum, numquid ægrum vel vomitus vel nausea sub febris initium interturbaverit? Id si contigerit, omnino medicamen emeticum jubet præscribi, nisi vel ætas tenella vel insignis aliqua debilitas ægri ab eo abstinendum, suaserit. « Sane vomitorium propinare, » inquit numquam satis æstimandus auctor, » adeo est necessarium, ut, nisi humor ille expellatur, in sentinam complurium malorum difficilium sit abiturus, quæ crucem figent medico » toto morbi decursu. Imo diarrhœa ut plurimum in defervescentia febris subsequitur, » quotiescumque emeticum, quando suadebat » indicatio, omissum fuerit. Porro etiam compertum habebis, etiamsi illa proclivitas ad vomendum jampridem præterierit, diarrhœam » tamen, quamprimo exhibueris vomitorium, » plerumque cessaturam, dummodo emetico ferendo fuerint ægri vires. Quare, si sero ac-

» cersitis, non licuerit, emeticum propinando, » ægrotorum saluti sub febris initium consulere; » certe tamen convenire existimaverim, ut quo- » vis morbi tempore illud fiat, modo vires eo » usque morbus non attriverit, ut emetici vim » perferre amplius nequeant. Equidem ego, » prosequitur auctor, die duodecimo vomitum » imperare non dubitavi, etiam quum æger vo- » miturire desiisset, neque sine fructu. » Est igitur nonnumquam emeticorum summe laudandus usus in febribus continuis, etiam iis quas malignas vocant, ut pulchre etiam insinuat Ballonius : « Lipothymia, inquit, interdum » præcedit febrem : medici, territi isto sympto- » mate, ad cardiaca properant, quum potius » ad purgans medicamentum sit veniendum. »

Cavenda tamen et fugienda sunt cane et angue pejus cathartica ac emetica, si vel minima phlogoseos sit suspicio. Sit hic itaque circumspectus medicus, ne decipiatur putans, febrem a cruditatibus in primis viis stabulantibus foveri, quum aliquando nihil sit minus, et sola inflammatoria dispositio febris sit auctrix. Profecto veteranus hic etiam habet, quod timeat, medicus; sunt signa quædam communia ventriculi tam cruditatibus quam inflammatione obsessi; anxietas cum fastidio et nausea ventriculum affectum sequuntur. Febres continuæ, cum rigore ac horripilatione ingruentes, suspicionem inducunt, malum ex præcordiis pullulare. Quid hic

faciat medicus ? Non sufficit esse anxietatem in præcordiis, nauseam, vomitumque, ut certus sit primas vias cruditatibus obsitas. Quid igitur? Attente inquirat in causas occasionales, quæ solæ sæpe omni dubio eum liberare possunt. Singulas et omnes consideret circumstantias : si os amaricet, si similes sint ructus, si cordis dolor, si vertigo tenebricosa præcesserit vel conjuncta sit, cruditates subesse colliget, præcipue si febris non accesserit [1], prout descripta paulo ante fuit febris ex ventriculi inflammatione; si vero a vomitu singultus, et rubor oculorum, et ante enarrata symptomata augeantur, malignitatis non expers esse solet; imo singultus a vomitu certo certius inflammationem ventriculi vel cerebri denotat.

PRÆCEDENTIUM UBERIOR CONFIRMATIO.

Sed illa fortassis nos ab instituto et scopo nostro deduxerunt : redeat modo, unde digressa est, oratio. Sufficiet hic unus pro omnibus Ettmullerus, qui hanc nostram opinionem firmissimis stabilivit argumentis in sæpius jam laudata Dissertatione *de vi opii diaphoretica :* « Sæpius, inquit, scilicet in praxi malignarum febrium, observamus, æstuante maxime corpore, ægro ipso copiosius bibente stragulis etiam cooperto, cum pulsu celeri, frequenti,

1 Conf. Hipp. lib. IV. aph. 17 et 20.

» plus minus vehementi et magno (ut nihil di-
» cam de illis qui, malignis in febribus, quoad
» urinam, calorem etc. sanorum similes appa-
» rent), nullum sudorem etiam post propinata
» sudorifera elici posse, cute semper squallida
» ac arida ac quasi nonnihil corrugata existente,
» ægro alias naturali in statu facillime sudante.
» Jam equidem concedendum est, alteratum
» his in febribus esse insigniter sanguinis sta-
» tum, impedientem plus minusve laticis pro
» sudoris materia secessum. Quod tamen hæc
» sola in tali ægri, præsertim siticulosi ac biba-
» cis, statu, tali cum pulsu etc. causa sit dene-
» gati penitus sudoris, equidem persuadere haud
» mihi possum; quin potius arctior fibrarum
» cutanearum strictura et hinc pororum clau-
» sura videatur sudorem impedire. Nempe ven-
» triculo ejusque superiori orificio male affectis,
» speciatim fermento maligno contagioso obses-
» sis, ut anxii inquieti et agrypni, sine manifesta
» causa, redduntur ægri, ita tantum non inte-
» grum membranosum genus consentire, hinc
» et cutaneæ fibræ contrahi, videntur : diffuso
» vero ulterius maligno fermento et systema
» nervosum plus minus afficiente, eo magis et
» nervea cutis compati, hinc portas quasi undi-
» que claudere, et sudori quoque transitum
» pertinacius denegare, pergit. » Unde fermento
maligno, quod acidum statuit, ab antimoniali-
bus fixioribus absorpto, relaxari pororum con-

tracturam corpusque denuo transpirare, non ineleganter asserit Tachenius, referente Ettmulero. Ego certe in ea sum opinione, quod absorbentia illa fixiora sæpe hoc modo sudorifera evadant.

Hisce addere licet, quæ habet Baglivus de febribus quæ ab interna viscerum inflammatione pendent, potissimum quas erysipelatosa ventriculi inflammatio producit : « Semper ex-
» tremitates et externæ corporis partes frigidæ
» observantur; crispatis enim vehementer soli-
» dis partis inflammatæ, per consensum, vasa
» fibræque aliarum corporis partium crispantur
» fluidorumque cursum intercipiunt, unde fri-
» gus. » Cui observationi quadrat opinio Dureti *in Coacas, de dolore lumborum* : « Dolor lumbo-
» rum, si transit ad caput convulsifico modo,
» crudeliter necat; si vero aduncis veluti ungui-
» bus viscera circumplectitur, piscarii retis mo-
» do, quod nominatur *Griphus*, inflammationes
» icterosque parit. Irritatis ab acri humore præ-
» cordiis et potissimum ventriculi tunicis, com-
» municata reliquis partibus dolorosa crispatura,
» supprimuntur statim sudoris secretiones et
» aliorum quoque liquidorum. Quam ob cau-
» sam in dolorificis hujusmodi internorum vis-
» cerum inflammationibus, stultum est vel su-
» dores exspectare, vel promovere velle, nisi
» mollita prius, per debita remedia, inflamma-
» toria solidorum crispatura; quique diaphore-
» ticis vehementibus sudores elicere cupiunt,

» non eliciunt, sed magis aucta solidorum cris-
» patura, inflammationem ad gangrænismum
» disponunt. » Ad Ettmullerum rursum redeamus : « Quod de præcordiis, ait, fermento ve-
» nenoso, in febribus malignis, obsessis, modo
» monitum fuit, cujus hostili præsentia anxie-
» tates ipsis ægris non explicabiles, inquietudi-
» nes, agrypniæ excitantur, et per consensum
» hinc pororum corporis contractura induci-
» tur, ulteriorem postulat explicationem. Nempe
» præ cæteris affectibus perquam contagiosas
» excitant maligniores febres contagia fermenta-
» tiva, quæ inspirationis medio ut plurimum se
» nobis insinuant, quascumque etiam alias cor-
» poris partes afficiant, semper simul ventriculo
» communicentur, indeque nunc citius, nunc
» tardius, pro circumstantiarum, tam in agente
» quam patiente, differentia, nausea inexplica-
» bilis quædam circa præcordia, molestia seu
» anxietas, alvi etiam constipatio, sitis intensa,
» vagus, utut primitus leviusculus, horror (ut
» taceam cephalalgiam et agrypniam, nunc citius,
» nunc tardius supervenientes) ægrum affligere
» solent, horrente universo systemate nervoso
» inimicam impressionem circa stomachum fac-
» tam, et quasi undique contrahente, ope mo-
» toris spiritus, quosvis meatus, quo ab hostis
» peregrini insultu eo melius se tueatur. » Contagiorum hunc afficiendi modum expertus insinuat Lindanus Disp. *super Hartmanni Praxim*

Chymiatricam, uti jam inde antea memini. Hinc etiam febrium malignarum sedem principalem in ventriculo esse, res confessa est [1]. Helmontius et Diemerbroekius in dissectorum ventriculo stigmata maculasque nigricantes se reperisse, adfirmant; adeo ut semper fere in febribus malignis ventriculus vel escharam vel inflammationem vel alia hujus census contraxisse observatus fuerit. « Pestis autem, ait Hofman-» nus [2], vim in ventriculum, et ex ea conceptam » inflammationem ipsa symptomata, quæ gra-» vitate sua maxime terrere debent, demon-» strant : summa certe præcordiorum anxietas » ardorque, calor internus, exteriorum frigus, » inquietudo, sitis, linguæ ariditas, delirium, » pulsus inæqualis languidusque et parvus, » imo nausea, vomitus, alvique profluvium, » quid aliud loquuntur, nisi præsentiam veneni » pestiferi intra tunicas ventriculi ferocientis? » Quæ quidem symptomata quum admodum copiose et erudito ingenio explicet clariss. Sylvius De le Boe [3] tum alii professores artis vel scriptores, qui grassante peste vixerunt, ad illos

1 Apud Bartholinum, cent. III. epist. 42; et apud Helmontium, Tumul. pestis. Confer. quoque Bartholin. cent. III. hist. 50. 68. 80, et Diemerbroekius, de peste, hist. 15.

2 Dissert. de peste.

3 Praxeos med. tract. quart.

vos remitto. Antiquissimus scriptor Thucydides de famosa illa peste, quam speciose describit, testatur quod, qui correpti ea fuerint, ita exurerentur iis interiora, ut, ne subtilissimi quidem vestimenti contactum tolerarent, quamvis ipsum corpus, si extrinsecus tangeres, non admodum caleret, cutis vero exiguis pustulis efflouresceret. Inde etiam Forestus [1] dilucide scribit, eos, qui Delphensi in peste periclitarentur, ex humorum in corde virulentia (uti loquitur) summa inquietudine jactatos fuisse, modo de latere in latus, modo in ventrem, modo in dorsum volutatos, eosdemque modo ad caput, modo ad pedes se dejecisse, furentis intra præcordia incendii impatientes. Neque aliter Rivinus, qui in eleganti libello, quo pestem Lipsiensem complexus est, liquido adfirmat, in plerisque fere præcordiorum se observasse anxietatem et cum hac internum æstum, sitim nullo humore restinguendam, linguæ ariditatem, inquietudinem, jactationem, spirandi difficultatem, artuum tremorem, motus convulsivos, vomitus, alvi fluxum, hæmorrhagias periculosas, dolorem acerbum. Et, alibi hæc ejusdem symptomata commemorat; nempe cordis angorem, pectoris æstum, cibi fastidium, vomitus, animi dejectionem, tensionem præcordiorum, sitim, gutturis ardorem, halitus graveolentiam lin-

1 Lib. VI. obs. 10.

guæque scabritiem nigritiemque. Et de Brunswicensi peste Gieslerus [1] tradidit, plerumque eam cum nausea vomituque et alvi etiam fluxu incepisse. Quæ quidem omnia mala nihil aliud significant, quam spasmodicam ventriculi et præcordiorum contractionem earumque partium funestam inflammationem. Eadem ex re apparet, ferale pestis miasma ventriculum imprimis infestare, cujus summa ibidem vis maxime conspicua est et atrocitate symptomatum et necandi celeritate. Propterea etiam rursum ait Ettmullerus : « Tam in malignioribus febribus, quam peste » ipsa, si contagii suscepti opinio sit, initium » curæ a vomitorio cum consilio instituitur. » Sane, si ægros tales, in morbi progressu anxietatibus, inquietudinibus, jactationibus, cephalalgiis etc. affectos, interroges in quanam corporis regione ita male habeant, epigastrium intento digito monstrant, et hoc ipso medico insinuant, ventriculum imprimis pessime affectum esse, per cujus consensum et capitis membranæ tendi caputque hinc diversimode dolere videtur; qua occasione et cutis contrahi poros sudoremque supprimi, probabilissimum est. Exinde enim in variolis, purpuris petechiis etc., anxiis et hinc inquietis existentibus ægris, vix ac non nisi imperfecte cutaneæ excretiones succedunt. Nempe, ut membraneæ sub epigastrio partes tendi ex

1 Observ. 13, 14 et 15.

12.

fibrarum irritatarum spasmo tali sub statu solent, ita per consensum cæteræ membranaceæ partes tendi, ut supra ex Fernelio deductum fuit, hinc et cutis pori simul per tensas et contractas fibras coarctari solent. Pro quibus symptomatis mitigandis opium optimo cum consilio selectis additur vel sudoriferis vel alexipharmacis. Jam autem sæpius est dictum, opium præcipue vires suas exercere in stomachum, et eo mediante in remotas partes. Quod Willisius vidit, dum ait [1] : « Opii pillula vixdum a ventriculo dissoluta torporem accersit. » Quidquid id est, Ettmulleri aureus ille locus ita luculenter evincit, sedem febrium ardentium, malignarum etc. in stomacho frequentissime esse, ut supervacaneum arbitrer alia conquirere testimonia. Quare his finem facio : Hofmanni tamen omittere non possum opinionem : « Hæret, inquit [2], ut plurimum, ut nostra fert sententia, fomes plurimorum exanthematum, variolarum, morbillorum, purpuræ primis in viis. »

1 Cerebri anat.
2 Dissert. de nat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

PROSECUTIO DE FEBRIUM INTERMITTENTIUM NATURA, QUARUM ETIAM FOMITEM IN VENTRICULO HÆRERE, DEMONSTRATUR.

FEBRIUM INTERMITTENTIUM HISTORICA DESCRIPTIO.

Febres intermittentes in hoc omnes sibi similes deprehenduntur, quod ordinarie, præcedente aliquot dierum lassitudine crurumque ponderositate, tandem paroxysmos suos manifeste inchoent, cum frigoris, horripilationis, concussionis, vel saltem levis frigoris per spinam dorsi decurrentis sensu; quo tempore pulsus quidem frequens est, minutus tamen et depressus : his ocius aut serius succedit calor, et huic tandem sudor et subsequens apyrexia. In frigore æque ac calore vehementer passim ægrotat æger, anxius est, difficile spirat, vomiturit, capite ac dorso dolet, cum siti intensa ac lingua arida.

CAUSA PROXIMA.

Causam proximam totius paroxysmi statuo esse, initio quidem, imo sub incrementum, crebriores cordis majorumque ramorum arteriarum contractiones, cum aucta tamen resistentia ad

capillaria, dependente ordinarie a spasmodica eorum contractione. Increscente vero febre ac ad statum jam perducta, non tantum vasa majora motus reduplicant suos, sed et minima capillaria iisdem abripiuntur motibus, totum scilicet vasorum systema oscillat insolentius ictusque multiplicat suos.

PROBANTUR EA EX CONSIDERATIONE DECURSUS PAROXYSMI FEBRILIS, IMPRIMIS INITII ET INCREMENTI.

Horum veritatem comprobat attenta consideratio totius decursus paroxysmi febrilis. Non facile quis, ut credo, in dubium revocabit, quin tremor, horror ac frigus dependeant a spasmodicis affectionibus integumentorum totius corporis. Præterquam enim quod ea sit doctissimorum quorumcumque medicorum sententia, prout suo loco probaturus sum, ipsa ocularis inspectio id docet. Sub ipsa enim accessione conspicitur ut plurimum constrictio pororum cutis, quæ apparet rigida et arida; vasa minora fiunt et detumescunt; extrema livore afficiuntur, totiusque corporis manifesta percipitur compressio; et, quod amplius est, non modo transpiratio fit minor, febre excandescente, sed et siccatur saliva, sputa cessant, urinæ retinentur, mensis profluvium desinit, ita ut emissaria omnia occlusa videantur; denique, ut antea jam dictum est, per horas aliquot, tam diu scilicet quam frigus corpus infestat, pulsus

minutus est ac depressus. Ex quibus sole meridiano clarius est, ab initio paroxysmi intermittentium vasa capillaria coarctata esse ac consequenter fluidorum per ea interceptum cursum. Horror igitur et tremor artuum, jactatio inquieta, oscitatio et pandiculatio, respirandi difficultas, pectoris constrictio, præcordiorum anxietates, suspiria, aut saltem suspirandi studium et inane conamen, tantum videntur consequi nisum partium solidarum, se in statum naturalem restituere ac resistentes propellere succos conantium. Naturam diceres, seu potius vim quamdam innatam solidorum, insurgere ad molestum quemdam superandum et ejiciendum hospitem. Quare hac etiam in lucta febricitantes miselli in tantis quandoque angustiis versantur, ut anima, in arctiori suo ergastulo ad incitas quasi reducta, fugam moliatur; ut plurimum enim, qui hoc malo occumbunt, urgente rigore deficiunt.

Hoc in rerum statu, vasis capillaribus scilicet coarctatis, ac sic impedito plus minus libero sanguinis ex arteriolis in venas transitu, sanguis in vasis majoribus accumulatus redundet, necesse est. Sic vero inundata et submersa vasa, quum se pondere et jugo, quo premuntur, liberare laborent, fortius insurgunt et ab obice illo, quasi stimulo quodam, concitata motus ictusque ingeminant, quo per resistentes canales protrudant succos.

UNDE FRIGORI SUCCEDAT CALOR.

Existit hinc pressio ac arietatio sanguinis major in tubulos ac canales transitui resistentes viamque intercipientes; ab hac vero continua allisione et fluidorum attritu incalescunt solidæ partes adeo, ut frigori succedat calor, utpote consistens in celeri et confuso particularum sanguinearum in fibras motu et appulsu ipsis communicato. Aucto igitur continuo sanguinis momento, fit via vi rumpunturque aditus, quum vasa, ut rupturam effugere queant, cedere cogantur ac liberam concedere viam.

UNDE SUDOR.

Quod eo etiam expeditius contingit, quo tandem, post fibrarum nimiam tensionem, facilius earumdem relaxatio ac remissio subsequitur. Perruptis postremo et superatis obstaculis, habitus corporis tumidus apparet, vasa rubent et inflantur, cor palpitat insolentius, tantoque æstu afficiuntur membra, ut sanguinem effervescere et ebullire dicas, donec tandem sudor largior profluat, cataractæ omnes reclusæ videantur. Quo signo manifestum est, habitum corporis resolvi et capillaria, spasmo liberata, oscillatorios recuperasse motus, quod etiam tactu percipere licet; tunicæ enim arteriarum in adventum sudoris, licet ante duræ fuerint, mollescere videntur.

SECUNDUM TEMPORUM DIVERSITATEM DIVERSA ETIAM EST HABENDA PAROXYSMI FEBRILIS IDEA.

Ex hisce patet, diversam habendam esse paroxysmi febrilis ideam secundum temporum diversitatem. In initio, vasis capillaribus constrictis et crispatis, cor ramique majores arteriarum ingeminant ictus, ut tardatos, hærentes, interceptos et minime subactos liquores propellant, imo terant ac comminuant. In statu vero vasa majora majori impetu copiam sanguinis, qua fere obruebantur, ad capillaria transmittunt, quæ, ipsis correspondentia, oscillatorios similiter augmentant motus, donec tandem æqualis fiat rursum sanguinis circuitus, hincque subsequens febris remissio.

PERIODORUM EXAMEN.

Hæc de febrium intermittentium paroxysmorum natura sufficiant. In paroxysmos febrium intermittentium, periodice stato et certo tempore, scilicet tertio aut quarto quoque die, ut plurimum eadem hora recurrentium, inquirere nunc libet. Hujus vulgaris ac maxime obvii phænomeni ætiologia mirum quantum torserit philosophorum ingenia, non tantum priscorum, sed etiam neotericorum, quotquot omnium morborum causas in sanguine et humoribus inveniendas esse, hariolati sunt.

MALE EORUM RATIO A FERMENTO ALIQUO DEDUCITUR.

Qui maximo ingenii acumine freti hujus phænomeni solutionem aggressi sunt, in viscere aliquo nidulari aut parte corporis nescio qua delitescere fermentum aliquod commenti sunt, quod, pro genio suo, jam quotidie, jam tertio vel quinto quoque die moveri, in actum deduci, sanguini commisceri inciperet, eumdemque nescio in quos raperet motus fermentativos.

Quod hodie dum, ubi exolevit fere absurda illa, ut ait Freind, de fermentis opinio, a paucis admittitur. Etenim quis fermentum sui multiplicativum, quod in minima mole succos sanguinemque inficiat, quod certo tempore tantum agat, deinde quiescat, quæso, concipiat?

RATIO TUM A GENERATIONE MATERIÆ CUJUSDAM FEBRILIS, TUM A CERTA DISPOSITIONE PARTIUM SOLIDARUM PETENDA EST.

Neglecto igitur et prorsus spreto hujusmodi fermenti uti et plurimarum aliarum hypothesium commento, conemur nos œconomiæ animali magis conformi modo abstrusum illud periodorum negotium nonnihil elucidare. Non videtur equidem mihi phænomenon illud recte explicari posse, nisi recurrendo ad generationem materiæ cujusdam febrilis, quæ in certa ac determinata quantitate vel qualitate fibrillas corporis nostri sit nata afficere, vellicare ac ad motus

anomalos concitare, ita ut tamen tunc tantum paroxysmi inducantur febriles, dum fibræ motrices ad motum illum suscipiendum et reagendum dispositæ sint. Quod antequam latius deducatur, primo locum ac modum generationis hujusmodi materiæ indagare, necessarium videtur.

LOCUS GENERATIONIS MATERIÆ ISTIUS FEBRILIS.

Posito, quod infra probabitur, causam materialem febrium intermittentium circa præcordia hærere, nullibi, mea quidem opinione, rectius quæsiveris sedem hujus materiæ, quam in vitiatis, de tono v. g. dejectis, glandulis ventriculi; quibus fit, ut succus ille, vulgo dictus *digestivus*, continuo a massa sanguinea ad eas affluens, sensim et sensim magis vitietur ac inquinetur, donec tandem in ea sit quantitate ac qualitate, qua stomachi nervosam ac maxime sensilem substantiam stimulet magis et vellicet, et consequenter per consensum totum afficiat vasorum sanguiferorum genus. Quod sive dicas ex eo fieri, quod succus ille, qui in glandulis vitiatur et continuo in ventriculum depluit, in magna satis copia jam existens excitet paroxysmos; sive ex eo, quod in glandulis retentus et, ob nimiam moram, magis magisque infectus tragœdiam suam excitare incipiat, non multum a vero aberrabis, modo hoc maneat, quod negari non potest, ma-

teriam febrilem non semper agere, sed tunc tantum, quando satis abundans vel satis vitiata est, et utrovis solidorum villi ad recipiendum motum et reagendum sunt dispositi. Hæc duo ubi adsunt, nempe materies et fibrarum dispositio, paroxysmi inchoantur febriles, qui tam diu durant, donec materia ea discussa, subacta, aut e corpore eliminata fuerit et donec solidæ partes, a stimulo liberæ, sensim ac sensim remiserint pristinumque statum recuperarint. Initium igitur et incrementum paroxysmorum febrium intermittentium nobis ponendum videtur tum in productione et actione materiæ febrilis, tum in fibris corporis motricibus non tantum stimulatis, sed et in actum deductis ac reagentibus; terminus vero in difflata aut subacta eadem materia, et partibus solidis sponte iterum remittentibus ac oscillatorios naturales recuperantibus motus.

Explicata jam tota paroxysmorum ratione, ultro se aperit causa periodorum, hoc est, stabilis illius et constantis paroxysmorum in diem et horas recursus. Duo erant, ex quibus paroxysmos deducimus; alterum generatio materiæ febrilis, alterum partium solidarum dispositio : utrumque concurrit ad elucidationem periodorum. Etenim finito v. g. paroxysmo secundo, hærere censendum est idem vitium in glandulis, quod erat a solutione primi; quo vitio manente, non equidem mirandum videtur si intervallum, quod requiritur, ut generetur ea febrilis materiæ co-

pia, quæ sufficiat ad paroxysmum tertium, sit æquale illi spatio, quod simili generationi impensum fuit a paroxysmo primo usque ad secundum. Similiter quum conjicere liceat, fibrarum constitutionem, quæ fuit a solutione prioris paroxysmi, redire absoluto paroxysmo secundo, consentaneum videtur tempus, quod fluit a secundo ad tertium paroxysmum, priori interstitio debere esse æquale. Elucidari res poterit exemplo rudiori : ponatur sub tecto aliquo foraminulis aliquibus pervio, sive sub impluvio, pelvis aliqua sic appensa, ut, ubi receperit aquæ libram unam, invertatur et sese sponte rursus restituat; cadente eadem copia pluviæ ac eodem manente stillicidio, æqualibus intervallis pelvis subibit effusionis vices.

MULTUM DEBERI PARTIBUS SOLIDIS, OSTENDITUR.

Quod hic pro periodorum explicatione a partibus solidis argumentum repetitur, ne quibusdam paradoxum videatur, juvat hic Helmontii confirmare testimonio, qui sic loquitur [1] : « Uti,
» qui in lucta suspiriosus decubuit, aliquantisper
» quiescit, per quam moram vires recuperat qui-
» bus incumbentem victorem excutiat, sic natu-
» rali ductu Archeus in febribus sibi quietus per
» intervalla imperat, ac deinde resumptis viribus

1 De febribus.

» et vicibus hostem febrim nititur excutere. In » quo sane pars, cui insidet materia febrilis, pri- » mum se contrahit in rugas, quod sentitur fa- » cile in præcordiis : parti vero obsessæ totum » genus venosum quodam consensu collaborat » strictumque se arctat, contractis fibris obli- » quis ; inde namque rarus, durus atque minu- » tus pulsus, frigoris index ac opifex. » Utut est, in praxi quotidie observare est, fibrarum villos nonnumquam obsurdescere irritantium stimulis ac, quasi lassatos, quiescere ; ut, in epilepsia, venenis assumptis, interruptos motus convulsivos alteri non rectius adscripseris causæ.

Superest, ut ostendamus, focum ac fomitem febrium intermittentium in ventriculo latere. Quod præter celeberrimorum quorumcumque medicorum auctoritatem et sumptomatum observationem, remedia et cura harum febrium manifeste ostendunt.

OSTENDITUR COMMUNI MEDICORUM OMNIUM OPINIONE, FOCUM INTERMITTENTIUM ESSE VENTRICULUM.

Magni omnes practici ac Naturæ seduli scrutatores imprimis fuerunt convicti, focum intermittentium esse in primis viis, et huic fundamento varias conati fuerunt superstruere hypotheses. Celeberrimus ille, Lugdunensium practicus et professor, Sylvius ab obstructione ductus pancreatici febriles motus deducebat. Post eum Willisius in primis viis videns quærendam harum

febrium originem, accusabat in ventriculo materiam peccantem, qua chylus indies infectus inficeret tandem ipsam massam sanguineam ac in ea febriles excitaret motus. Fernelius, medicus elegantissimus, omnem febrem intermittentem e stomacho vult produci, et ad modum, tunc forte in scholis usitatum, id conatur explicare. « Omnium, ait [1], propria sedes et origo in prima » est corporis regione, circum præcordia; ex » hisce sedibus febrium horrores rigoresque sus- » citantur, omnium eadem similisque causa, ca- » loris nempe, frigoris, rei pungentis aut quo- » vis modo molestæ vehemens incursio in corporis » sentientes partes confertim facta. » Hoc quoque vel inde constat, quod si accessionis initio humidi fotus apte calentes præcordiis imponantur, horrorem rigoremque leniant, quia nimirum ipsum mali fontem demulcent. Id ex his quoque conficitur, quæ sæpe fieri observamus, tertianam, diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum, colico immaniorem, desinere, qui nonnumquam in artuum dolores et paralysim facessit.

IDEM CONFIRMANT SYMPTOMATA.

Si vel ipsa paulo diligentius considerentur symptomata, perspicuum fiet, illa juxta cum febre, quam concomitantur, ex ipso ventriculo oriri. « Meam, inquit Helmontius [2], de sede febrium

1 Lib. de febribus, cap. 10.
2 De febribus.

» doctrinam (in præcordiis ponit) confirmant
» nausea, præcipue carnium, piscium, et quæ
» facile cadaveris instar olent, perhorrescentia,
» mox a febrium introitu sitis, item inappeten-
» tia, cephalalgia, sopores, vigiliæ, anxietates to-
» picæ circa os stomachi, deliria, syncopes, quæ
» vitiati oris stomachi sequuntur dominium :
» præterea ructus nidorosi, consternata dige-
» stio, vomitus, linguæ quandoque amaror, sic-
» citas, fissura, nigredo : huic accedunt superve-
» niens ructus acidus, nubecula urinæ, quæque
» stomachi coctionem rediisse arguunt.» Quid ? quod horrores rigoresque ac horripilationes præcordia primario affici, satis ostendant ? Quum enim ex ante dictis palam sit, maximum intercedere ventriculo cum partibus subcutaneis consensum, non dubitandum equidem videtur, stomacho laborante, uti fit in accessu febris intermittentis, si horrores, rigores, horripilationes partiumque subcutanearum cæteræ affectiones ingruant, eas ex ventriculo produci, uti etiam probat Fernelius, dum eas fotu calente multum leniri asserit. «Imo quod de fotu calente refert
» comptior moderna praxis, ait Ettmullerus [1],
» per olea destillata felicius præstat, quatenus
» ab his penetrantioribus v. g. caryophyl. aut
» mac. aut cinamom. præcordiis illitis, fotu late-
» ris calentis desuper admoto, rigores horrores-

1 De vi opii diaphoret.

» que manifeste imminui, interdum ab iis ma- » ture applicatis penitus præcaveri, videmus. » Idem testatur Baglivus de oleo caryophylleo, epigastrio illito; manifesto argumento, cutis affectiones a stomacho produci. Galenus adnotavit [1], ex usu esse, ut etiam cibentur aut saltem recreentur cibo ægri nonnulli, etiam dum horrent, et se usu panis in vino macerati, ineunte horrore dati, febrem prohibuisse. Idque verosimiliter, quod spicula materiæ febrilis, in stomachum depluentis, obvolverentur ac obtunderentur, vel refocillatus stomachus citius excuteret materiam stimulantem, et sic partes ob consensum affectæ citius sopirentur. Baglivus modum ac rationem istius consensus more suo eleganter proponit, ubi agit de lipyria inflammatoria, inquit [2] : « Ventriculi crispatura universorum, ut ita di- » cam, vasorum ac fibrarum systema crispat, » convellitque; qua de causa, turbato ac impe- » dito libero cursu liquidorum ad exteriora, » necesse est, ut et hæc frigescant. »

IDEM EX REMEDIIS ET CURA PROBATUR.

Ad remedia et curam jam transeamus : hoc enim erat tertium, quo proposuimus febris ex ventriculo ortum comprobare. Qui secundum

1 Lib. 10. Meth. cap. 4.
2 Prax. med.

artem curam febrium intermittentium suscipiunt, eam ab evacuatione primarum viarum inchoare solent, idque tam felici cum eventu, ut sæpius unico emetico febrim profligatam experiantur. Quod certe fieri non posset, si in tota massa sanguinea, ut quidam sibi imaginantur, lateret causa materialis ipsius febris, quum impossibile foret, tam cito fieri posse ejus curationem. Primis viis jam expurgatis vel per emeticum vel per catharticum, sine quibus vel incassum febrium tentatur curatio, vel infidæ tantum conceduntur induciæ, ad sua quisque progreditur antifebrilia, inter quæ hodie ut infallibile celebratur kinkinna : eam autem febres intermittentes protelare non rectius conceperis, quam astrictione sua, qua ipsa impedit quominus ex massa sanguinea in ventriculum depluat materia febrilis. Quum enim amarostypticis compaginetur moleculis, stomachi fibrillas leniore concussione nonnihil constringit, abbreviat, arctiusque compingit, et hærentia in porulis et interstitiis fluida, quæ fibrarum robur debilitabant, liquida appellentia inficiebant, emungit, ac sic fomitem tollit febrilem. Chinam Chinæ virtutem exserere in stomacho, ex eo patet quod, ut felix ejus habeatur operatio, a potu aliquot horis post ejus exhibitionem sit abstinendum, quum tamen contrarium fieri deberet, si non in stomachum magis quam sanguinem ageret. Docet præterea praxis, dum febrim cohibuit cortex Peruvianus,

multo tempore post ab usu purgationis cavendum; nam, nisi septimanis aliquot a sopita febre dissida, purgatio suppressos paroxysmos revocat : nec mirum, quum versus stomachum materiæ febrilis affluxum revocet ac sopitos exsuscitet ignes. Corticem etiam Peruvianum vires suas exserere in stomacho, probari potest ex eo, quod et reliqua quæcumque antifebrilia manifeste effectus suos tantum edant in ventriculo.

ALIA PROPONUNTUR ANTIFEBRILIA.

Prætereo absorbentia, præcipitantia, salia fixa et neutra incidentia, amara, styptica, extracta plantarum etc. quorum virtus verosimiliter ultra primas vias se non extendit. Ne quis forte ea in dubium revocare possit, hoc loco sufficient antifebrilia ex venenis desumpta, uti pauxillum arsenici sublimati, nucis vomicæ etc., quibus agyrtarum plurimi febres superant intermittentes maxime contumaces. Imo omnia caustica generaliter remedia in debellandis febribus intermittentibus sunt maximarum virium, ita ut, teste Fricci, in Tractatu suo *de venenis*, « Si centum » essent caustica venena, tot essent antifebrilia » remedia. » Jam autem prout in prioribus hujus tractatus capitulis satis superque demonstratum est, venenorum vim lethiferam ultra primas numquam procedere vias, ita hic salutarem, quem habent, effectum non video cur velimus longius

transferre. Nam eadem vis venenosa, noxia ac nervoso generi infesta, utilis et medica tantum redditur, dum in minori mole et quantitate exhibita, loco corrosionis ac inflammationis, lenes tantum inducit concussiones et motus tremulos constrictionesque minores, quibus exprimantur, quæ in interstitiis hærent, vitiata fluida, et tensionem suam naturalem recuperent solida.

HECTICA FEBRIS EX VENTRICULO.

Ex hac qualicumque remediorum antifebrilium explicatione videtur quidem non parum confirmari sententia nostra, corroboraturque magis per ea, quæ auctores de febre diaria hectica etc. adferunt testimonia. Helmontius, qui sedem omnium febrium in stomacho ponit, « Imprimis, » ait, diaria quæque ephemera dicitur ab unius » diei duratione; sedet in stomacho et plerum» que ex vitiato cibo, quare et a vomitu vel per» acta digestione sponte cessat. Similiter febris » hectica seu tabida quædam est quotidiana dia» ria a corrupta cibi parte, mox, sumptis cibis, » repetens; illam foveri vitio stomachi videtur in» dubitatum, quum febris, qua continuo urun» tur, digestionis momento exacerbetur et ha» beatur intensio ejus ab assumpto cibo, qua» cumque hora sumatur, quæque durat per » totum tempus, quo chylus distribuitur, quo » absoluto, calor ad suum pristinum statum redit. Non possum equidem assentiri illis, qui febrim

illam intendi volunt a chylo sanguini commixto, quia febris viget antequam quidquam chyli sanguini commisceri cœperit; manet vero in eodem statu simul ac chylus sanguini omnis est commixtus. « Frigus, inquit Plempius [1], quod a pastu » aliquando per totum corpus solet spargi, an » non dicendum per continuationem reliqua affi- » cere membra et non esse tam bonum signum, » quam putetur, sed contra? Nam homines sunt, » ut ait Hecquetus [2], in quibus id imperii tenet » stomachus, ut illi, in coctionem ciborum in- » cumbenti, allaboret reliquum corpus; sto- » machum febrire diceres seu digestionis febrem, » tanta est inquies, qua digestionis tempore mi- » seri afficiuntur, nimirum calore vultus et ru- » bore, dolore capitis, corporis lassitudine, » temporum pulsatione, pulsus crebritate, fre- » quentia, duritie. » Idem confirmat ventriculi imbecillitas, quam secundum Galenum vocant *attritionem ventriculi*. Dum scilicet, assumpto cibo, toto corpore horrere incipiunt, incurrunt in lentissimum frigus, imo instar glaciei redduntur, idque maxima cum compressione thoracis et difficili anhelitu, per horas aliquot subsistente, pulsu contracto, donec membra tandem calere rursum incipiant. Cujus curam ex Bayro huc non incongruum duxi adferre, quum etiam mani-

1 Institut.
2 De purganda med.

feste indicet symptomata ea omnia dependere a stomachi tono dejecto. Sic igitur curam instituit [1] : pedes ægrotantis cum pannis calidis jussit fricari et fricationibus fortibus calefacere, deinde lanam succidam carminatam decenter in oleo nardino calido infundere et super stomachum applicare, superponendo pannos calidos; ei tunc dedit drachmam piperis pulverisati et involuti in hostia madefacta in vino; postea dedit circa uncias III boni vini calidi, et illinc ad horam fecit eum cibare. Testis sit mihi, ait, Deus, quod numquam postea minimam partem senserit illius passionis, licet antea plusquam per mensem ea ordinarie post omnem cibationem infestaretur. Mulierem etiam quamdam, simili morbo laborantem, iisdem remediis statim curavi. Notandum quod sit cura petita ex Galeno qui, libro *de præcognitione*, ponit hunc casum qui contigit filio regis : dicentibus aliis medicis, esse principium febris (incurrebat enim statim a cibo assumpto in lentissimum frigus cum maxima contractione pulsus et coarctatione anhelitus), Galenus non esse febris principium, asseruit; rogante patiente quid esset? respondit : consuevit stomachus tuus conteri a cibo assumpto converso in phlegma ante excretionem. Petiit patiens, quid agendum esset? respondit : si esset aliis, exhiberem vinum cum pipere, sed in vobis principibus securrissi-

1 Vid. prax. lib. II. cap. 9.

mis auxiliis consueverunt uti medici; sufficit ergo nardino unguento lanam intingere, et ori ventris applicare, pedibus calefactis. Recedentibus medicis, Pitholaus vinum Sabinum attulit, piper immisit et apposita lana, in oleo nardino infusa, calida super os ventris, bibit æger et statim sanatus est.

Concludamus, focum et fomitem plurimarum febrium continuarum et omnium pene intermittentium esse in ventriculo, ac proinde male ubique accusari sanguinis vitium. Adjiciamus hoc argumentum peremptorium : videmus, puncto irritatoque nervo vel tendine, suboriri febrim; quis jam dicat hanc febrim fluidorum subsistere vitio? An enim punctura nata est sic simul et semel totam invertere sanguinis crasim, eum acrem reddere, principia alia inducere aut languida exaltare? quod si id est, cur idem non contingat in ventriculo irritato ac vellicato, etiam seposito magno ejus consensu, quum totus nerveus sit [1].

1 Vid. Broussais, Prop. 231-233.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

OSTENDITUR EX PRIORIBUS CAPITIBUS, RECTE DEDUCI POSSE, PLERORUMQUE MORBORUM ORIGINEM A STOMACHO ESSE REPETENDAM, MEDICAMENTORUM IN EUMDEM PRÆCIPUAM ACTIONEM ESSE, AC PROINDE IN PRAXI PRÆCIPUE AD EUM ATTENDENDUM.

Generali ventriculi cum omnibus et singulis corporis nostri partibus consensu probato ac stabilito, ut focum ac fomitem plerorumque morborum in ventriculo latere demonstremus, nihil amplius nobis superesse videtur, quam ut ostendatur, plerasque morborum causas primario ventriculum afficere.

TRES SUNT CAUSÆ MORBORUM FREQUENTIORES.

Quisquis sedulo in morborum causas inquisiverit, deteget tres frequentiores : alimenta scilicet, animi affectiones, et aëris injurias. Ad quod reflectens Hippocrates, verissime prodidit [1], « Morbos partim ex vivendi ratione, par» tim ex spiritu quem vivendo attrahimus, fieri.» Helmontius vero id etiam disertius dicit : « Dum » nullum, inquit [2], premit assumptorum vi-

1 Lib. de natura.
2 De morb. archealib.

» tium, nec externorum in nos procellæ ruunt, » nec demum quatiunt perturbationes, nondum » enotuit quo fœdere, via, modo, quove per- » suasore et ductore Archeus sponte declinet [1]. »

ASSUMPTA SUNT PRIMA MORBORUM CAUSA.

Causas illas singulas ordine perscrutemur. Quam multi et varii morbi ab alimentis generentur, ille solus nesciat, qui ignorat illud vulgatum: *plures occidit gula quam gladius.* Considerate, quæso, commessationes, perpotationes et helluationes infinitas, quibus dies noctesque, etiam apud nostrates, miserabiliter consumuntur; attendite ordinariam in refectionibus satietatem et ingluviem; perpendite eduliorum ac ferculorum varietatem, totumque condimentorum apparatum, victumque nostrum cum simplici illo et parcissimo parentum nostrorum victu comparate, et intelligetis qua ratione in stomacho, tam oppleto ac onusto ac tot modis irritato et lacessito, tam frequentes nascantur cruditates.

AB IIS MAXIME STOMACHUS AFFICITUR.

Quis enim crediderit, ea omnia, quibus stomachus infarcitur et præter modum fatigatur, in laudabilem cessura chylum? Et quis sibi persuaserit, stomachum tot irritationibus, punctionibus ac continuis vellicationibus perturbatum

1 Vid. Broussais, Prop. 227.

corruptumque non iri? Hoc ergo indubitatum teneatur, morbos ab assumptis, quorum excessus et immoderationem primario sentit et luere debet stomachus, existere frequentissimos. Quapropter jure merito celeberrimi omnium sæculorum medici inedia et abstinentia plerosque morbos curari existimarunt. Sententia est Hippocratis [1], « Qui parum edit et bibit, eum nullis » humoralibus morbis tentari. » Ægyptii, ut narrat Herodotus, quum quis mortuus esset, eum exenterabant, et stomachum ad solum percutiebant, tamquam is fuisset mortis causa, ut hoc ritu temperantiam suos docerent atque ita incolarum saluti consulerent.

SECUNDA CAUSA SUNT ANIMI PASSIONES QUARUM POTISSIMUM EFFECTUS IN STOMACHO PERCIPIUNTUR.

Ad animi transeamus affectiones. Non modo sordes culinariæ, ut cum Helmontio loquar, in ventriculo colliguntur, sed et fabrica noxiarum imaginum cuditur. Si considerare velimus effectus passionum animi in corporibus nostris, deprehendemus, eos se maxime circa stomachum prodere. « Nam, ut ait Baglivus, qui laborant » animi pathemate, corripi solent potissimum » morbis ventriculi, ut inter cæteros observa- » mus in mœrentibus, qui conqueruntur primo

1 De morbis.

» de languore ventriculi, mox de inappetentia, » oris amaritie, siti circa horas matutinas, cruditatibus acidis et nidorosis, flatibus et tensionibus hypochondriorum. » Quamobrem monet medicos, ut in morbis ab animi pathemate prospiciant præ cæteris ventriculo. Helmontius observans, continuo a stomacho patiente animam lædi, et vicissim ab animi passionibus maxime pati ventriculum, tam procul progressus est, ut sedem animæ sensitivæ in ventriculo posuerit : « Iracundos, inquit, intuere, et veritatem deteges; excandescentiam enim illam sequi videbis » molestissimam circa scrobiculum cordis con- » tractionem cum ardore præcordiorum, alvi » astrictione, imo inflammationem ipsam ven- » triculi, quæ non sunt nisi spasmodicæ ejus con- » tractiones, quæ maxime observantur circa il- » lum locum, in quo pylorus et duodenum situm » habent. » Profecto nulla pars ita manifeste afficitur, quam ea quæ est circa scrobiculum cordis. An in tristitia non audimus homines conquerentes, quod cor ipsorum constringatur, *Mon cœur se serre! Het hart wordt my toegenepen!* et pete, ubi sit cor, ostendunt scrobiculum cordis, ipsum scilicet ventriculum. Palam id etiam fit in illis qui laborant nostalgia seu morbo patriæ; tales enim ab animi affectionibus, teste Valentino [1], appetitum habent prostratum, chylifi-

1 In dissertat. de nostalg.

catio in illis mox læditur, cruditates producuntur; unde flatus, cardialgiæ etc.

Sed audiamus Helmontium, qui firmissimis argumentis rem nostram stabilivit, præcipue tamen in Tractatu *de sede animœ, de jure duumviratus* : « Nemo, inquit, non sentit horrores, timo-
» res, pavores, iras, excandescentias, tristitias,
» suspiria, omnemque concupiscibilium pertur-
» bationem sibi circa os stomachi suboriri et agi-
» tari. Etenim, si inopinate bombarda explodatur,
» quis non sentit repentinum alicujus formidinis
» subsultum? Quis demum est, qui paratus men-
» sæ accumbere insigni edendi appetitu instruc-
» tus, non percipit aliquando, tristi nuntio sibi
» allato, suspendi actutum omnem edendi avidi-
» tatem? Igitur vigent facultates ibidem, quarum
» effectus sentiuntur. Vidi enim sæpius mulie-
» res quibus metus subitaneus, alias quoque
» quibus insignis mœror epilepsiam suscitaverat,
» alias denique, quibus lenta continuaque tristi-
» tia amentiam hypochondrii moverat, imo et
» alibi scrophulas causaverat. Sic pestis pavor
» pestem sæpissime creat, prout et subitus mor-
» tis pavor quandoque podagræ caracterem exse-
» ruit. Superbia quoque frequenter amentes fe-
» cit. Novi et alios, ignominiam passos nec
» vindicare eamdem potentes, incidisse repente
» in apepsiam, in asthmatis angustias, cordisque
» palpitationes, angustias et oppressiones; alios,
» qui repentino contumeliæ sensu statim in apo-

» plexiam ruerunt; itemque longo defessos moe-
» rore novi, in hydropem, icterum, lienaresque
» tumores proruisse; perplures item utriusque
» sexus, qui ex subita ira in apoplexiam, alios
» vero, qui in varias contracturarum ærumnas
» præcipites ivere. Quorum morborum fabricæ
» sentiuntur manifeste circa stomachi orificium.
» Quid? quod dum res horridas audimus, vel in-
» gratas olfacimus, statim stomachus officiatur. »
Est igitur extra controversiam, quin terror, tristitia, ira et cætera animi pathemata præcordia, si non primario, saltem magis quam ullas alias corporis partes afficiant. Quare si caput primitus apprehendant, statim stomacho communicari, ex antecedentibus jam elucescit.

AB AERE DENIQUE STOMACHUS PRÆCIPUE AFFICITUR.

Superest, ut ostendamus, ventriculum maxime etiam solere persentiscere aëris injurias. Ubi actum fuit de febribus ex ventriculo nascentibus, pluribus probavimus contagiosos morbos potissimum late divagari ac communicari per miasmata aërea, ventriculum subeuntia. Quomodo vero hæc ventriculum ingrediantur liceat hic ex Hofmanno adducere : « Quum aër, inquit [1], sese
» salivæ immisceat, et cum ipso feratur ad ven-
» triculi et intestinorum sinum, facile consequi-
» tur, effluvia varie heterogenea, in aëre contenta,

1 Dissertat. de metallurgia morbifera.

» eodem modo descendere ad corporis interiora;
» miasma pestiferum cum saliva, veluti curru
» quodam, ferri ad primas vias, inter alia atro-
» cia symptomata, quæ ibi gignuntur, v. g. car-
» dialgia syncoptica, anxietates, nauseæ, inflam-
» mationes sphacelosæ testantur. Quocirca pru-
» dens nonnullorum medicorum consilium est,
» in suspectis vel contagiosis locis numquam de-
» glutire salivam, sed continuo illam excernere,
» quo infectio avertatur. »

Et ipsum quidem aërem replere ventriculi et intestinorum cavitatem, non obscurum esse debet; quippe cujus vim ac præsentiam ructus et flatus, magna vi nonnumquam prorumpentes, abunde comprobant; veroque videtur simile, effluvia, aëris ope intra ventriculum recepta, non tantum ibi manere, sed interiora, etiam massam sanguineam, irrepere. Sane, ut quod sentio dicam, si particulæ ullæ aëreæ sanguini commisceantur, suspicandum est, eas potius, mediante hac via nota, quam per fictos vel saltem ignotos ac nondum probatos pulmonum porulos sanguini communicari. Utut est, indubitatum apud omnes est medicos, aërem continuo ventriculum subire, ac consequenter varie fibras ejus afficere. Sic notum est, appetitum plus minusve vigere, prout aër magis vegetus et elasticus vel languidus et iners existit. Sic, ventis borealibus prædominantibus, viget magis appetitus; australibus vero, languidior

est. Hisce junge quæ de contagio, mediante stomacho propagato, dicta hic et in anterioribus sunt, et constabit quanta sit vis aëris in ventriculum nostrum.

DEMONSTRATUR, OMNIUM PENE MEDICAMENTORUM ESSE ACTIONEM IN STOMACHUM.

Liceat igitur stomachum dicere et nuncupare, cum Helmontio, sentinam omnium morborum, quum in plerisque morbis afficiatur ipse primario. Ex quo sequitur illud, quod secundo susceperamus demonstrandum, omnium scilicet fere medicamentorum præcipuam actionem esse in ipsum stomachum. Quum enim impossibile sit, recte morbos aliquos curari, nisi morborum initium, fons et origo tollatur, res ipsa loquitur, efficacia ac salutaria medicamenta vim suam plerumque in stomachum præcipue exercere debere, quum ibidem fere omnium morborum causam et originem latere, demonstratum sit. Præter argumentum hoc firmissimum, ipsa medicamentorum actio et effectus id luculenter confirmant. Transeo hic laudabiles emeticorum tot in morbis effectus, quorum certe actio primaria est in stomachum, uti et purgantium. In antecedentibus vero hinc inde similiter ostendi, diaphoreticorum et diureticorum, absorbentium, præcipitantium, opiatorum, pectoralium præcipuas actiones esse in stomachum, ac mediante eo vires suas in remotis exserere par-

tibus. Quod confirmat Hofmannus [1]. « Quod » maxime mirandum, inquit, dantur medicamenta quæ simul atque ventriculum attingunt, effectum etiam in dissitis partibus exserunt. Exemplo sint omnia venena : nitrum, » quo non est clarius antispasmodicum ; parva » enim dosi in febri vel ardore inflammatorio » datum, mox refrigerationis sensum per totum » corpus inducit. Exemplo etiam fuerit opium, » princeps remediorum sedantium : hujus vel » dimidium saltem granum, idque vel solum » vel cum aliis mixtum, simul ac acceperis, » et sedat dolores et dormiendi adfert cupidinem. In nimia relaxatione fibrarum, serique » vel sanguinis fluxu, validius stypticum adsumptum, dum adhuc moratur in ventriculo, » etiam in remotioribus locis constringentem » ostendit effectum. » Hanc Hofmanni sententiam sæpius per experientiam veram reperi, dum, in summis sistendis hæmorrhagiis, pillulis aluminis, more practici illius celeberrimi Helvetii, felicissime usus fui. Idem comprobant validissima ac efficacissima quæcumque remedia, ut cordialia, corroborantia, a quorum usu subitaneum videas sæpius sequi effectum. Quod iterum testatur Hofmannus [2] : « Hæc ipsa, in» quit, remedia, quibus labascenti valetudini

1 Diss. de inflamm. ventriculi.
2 Diss. de intest. duodeno.

» succurrimus, virtutem suam ibi maxime os-
» tendunt. Quippe validissima auxilia, quibus
» pertinacissimos morbos expugnamus, saluta-
» rem suum effectum vix ultra primas vias
» ostendunt. » Imo asserere non vereor cum Helmontio, medicamenta non pergere extra stomachum, quin prius deponant omne fere remedii robur. Sic autem loquitur : « Cibi nam-
» que, potus et pharmaca vim suam amittunt
» circa primam stomachi digestionem; nec al-
» tius vadunt aut feruntur, quia tantum nu-
» triunt simpliciter, atque ideo omnem larvam
» nutritioni horridam ibidem exuunt et plane
» despuunt, vel alioquin in excrementa mutan-
» tur atque etiam sic inutilia fiunt conceptæ
» sanationi. » Quodsi vero lapis cancrorum sit diureticus, non est quod proinde sperandus sit adventus ejus usque in vesicam aut quod vis ejus maneat intacta et infracta : absit; sat enim esto, si lapis ille totum potum spoliet vi acescente, quippe quæ sola est, ut minimum ejus in lotio deferatur, quæ pariat stranguriam, dysuriam, ardoresque lithiasi familiares. Etenim quis crediderit in medicamentis conservari posse eamdem virtutem, quam in sanguine immediate commixta ostendunt? Nam præterquam quod ea non minus quam alimenta chylificationi subjecta sint, non admittunt etiam venæ lacteæ salinas nec sulphureas exaltatas particulas. Quod si est, non videmus qua ratione aliqui sperent

a salibus v. g. volatilibus dissolutionem sanguinis eo fundamento, quod eadem, sanguini immediate affusa, eum dissolvant. Non minus vanam dixeris eorum opinionem, qui cephalica recta ad caput, pectoralia ad pectus, cordialia ad cor tendere arbitrantur, item diuretica ab ore per renes usque in vesicam penetrare, uti et potus vulnerarios subire artus externos, in quibus salutariter sæpe operantur. Quod etiam vidit Helmontius : « Manifeste co-
» gnovi, inquit ipsa diuretica, non quidem
» materialiter descendere in vesicam, uti nec
» potus vulnerarios in vulnus remotum, ve-
» rum omnem diureticorum et vulnerariorum
» opem fabricari in ipso stomacho, per exem-
» plum, lapidis cancrorum, vel fixissimi ossi-
» fragi, auxiliaris tam vulnerum quam lotii
» difficultatibus ; hic enim non dissolvitur a
» stomacho humano, nec proinde etiam pene-
» trat ad procul dissita in materia sua lapidea
» aut lactiformi. Nam revera cuncta intra sto-
» machum annihilantur, prioris vitæ simplicium
» testimonia, et non nisi flaccida gustuum re-
» manent vestigia. »

At urina spirat odorem macis, terebinthinæ, alliorum, asparagi etc. adeoque videntur diuretica quædam, a stomacho immutata, ad renes et vesicam tendere. Posset huic objectioni responderi refugiendo ad vias peculiares ; malo tamen dicere, nos negare non posse, quin una cum

potulentis facile aliqua stomachi subterfugiant actionem; vel quod ea ita resoluta sint et subtilia, ut chylo notam imprimant vix delebilem, licet non sit quantitas notabilis adjuncta, prout videmus, a lagenis odore aliquo imbutis fluida immissa quandoque sapore et odore notabiliter alterari; vel licet etiam cum Helmontio dicere: nux myristica et terebinthina (quæ ut plurimum saporibus suis discrepant) unicum tamen similemque spirant in lotio odorem; quod signum patefacit, in prima stomachi officina perire quidem primitivas rerum assumptarum crases, sed exsurgere novas, coquendo acquisitas. Ratum igitur firmumque maneat, diureticorum potissimum actionem esse in stomacho. Quoad potus vero vulnerarios, non aliter subveniunt vulneri nisi quatenus in stomacho acorem inustum sic minuunt, ut etiam in vulnere aciditatem inhibeant atque arceant. Unde quantumvis potus vulnerarii cohibeant in extremitate pedis puris fabricam accidentiumque formidinem, non tamen idcirco ampliori privilegio eosdem potiri, constat quam alioquin reliqua pharmaca. Non enim materialiter properant ad vulnus remotum, ut jam sæpius dictum est, nec opus est, ut pharmacum deferatur semper ad locum affectum, quum illud solo attactu, si liceat uti verbis Helmontii, Archei stomachalis longinquos possit in corpore sanare morbos: siquidem generalis stomachi digestio præest quibuscumque singularum dige-

stionum coquinis, ita ut opus non sit ad sanandum, quod agens tangat patiens remotum. Unde conspicuum evadit, teste ipso Helmontio, omnem propemodum sanationem morborum (vulnera itemque ejusmodi chirurgicalia non excipio) in stomacho ejusque duumviratu sollicitandam. Namque sic etiam non raro defectus exteriores interno stomachi remedio tolluntur, alioquin externis pharmacis frustra tentati. Non mirandum itaque, quod remedia vix superent stomachi imperium, classem, aut materialiter longius dispergantur. Hisce si quis jungat ea quæ de consensu ventriculi a nobis dicta sunt; si stomachum consideret, cum Poterio, ut partem publicam sine qua nulla actio corporis nostri perfecta esse potest; si denique sibi ante oculos proponat, prout fibræ stomachi sunt dispositæ et affectæ, simili modo fibras omnes totius corporis disponi, næ ille facile admittet, medicamentorum præcipuam actionem esse in stomachum ac eo mediante in dissitis partibus virtutes eorum operari.

PROPONITUR HIC DIFFICULTAS ALIQUA.

Occurrit hic et alia difficultas : si medicamenta agant in stomachum ac per ipsum in cæteras corporis partes, quomodo igitur fit, ut aliqua potius agant in hanc quam illam partem? quare omnes et singulæ pari non afficiuntur modo? cur sudoriferum potius afficit fibras cutis quam renales? et sic de cæteris. Eadem hic est difficultas

quam ante attigimus, cur scilicet, stomacho laborante, non omnes et singulæ corporis partes, ipsi compati solitæ, una afficiantur; quare hæc præ reliquis jam nunc sentiat ejus afflictionem; alio vero tempore alia, immuni priore. Quid dicemus? Fateor, quamdiu mirabilis sympathiæ ratio non satis per se et a priori, ut aiunt, evidens est, necesse est, hanc rem tenebris quibusdam circumfusam esse : dicamus tamen in re obscura, quod videtur verosimillimum. Rapit ventriculus in consensum non omnes simul partes, nec semper quamlibet seorsim, sed prout ille plus minusve hoc vel isto modo afficitur, ita ut partium consensus certis ac determinatis stomachi affectionibus correspondere videatur, dum ad certas fibrarum vibrationes ac pulsationes subsiliunt, ad alias vero non moventur. Hisce adde, medicamentorum vim non esse præcise definiendam secundum vulgares medicorum ideas et divisiones, nempe in cephalica, pectoralia, stomachica, cordialia; contingit enim non raro, ut unius classis medicamentum in alterius classis officia se ingerat; sic v. g. pectorale aliquod fiet diureticum aut contra. Esto enim exhiberi oleum amygdalarum dulcium in pleuritide et nephritide, in hac diureticum fiet, quatenus fibras crispatas renum relaxando urinam ciet; in illa vero officium pectoralis explebit, dum, relaxando pulmonum ac asperæ arteriæ constrictas fibras, expectorationem promovet.

AD VENTRICULUM IN PRAXI PRÆCIPUE ATTENDENDUM.

Si plerorumque morborum origo ex stomacho sit deducenda omniumque pene medicamentorum primarius effectus habeatur in stomacho, sequitur, in medicina facienda præcipue animum ad stomachum esse advertendum. Memores estote aureæ sententiæ celeberrimi Ettmulleri : « Sane, inquit, si ventriculus sanitatis » et morborum limes est et ejus errato indeque » nato peregrino sapore etiam longius dissitæ par- » tes plectuntur, pariter ex eodem sapore fermen- » tativo aut odore primarum viarum correcto, » evulsa quasi radice, fructus morbosi quasi » sponte emarcescunt. » « Profecto, secundum » Hippocratem [1], insunt in homine et amarum » et salsum, et dulce et acidum, et acerbum » et fluidum, et alia infinita omnigenas facul- » tates habentia, copiamque ac robur. » Non sunt tamen illa, mihi credite, in sanguine quærenda, frustraque in iis cicurandis ac domandis ad massam sanguineam remedia diriguntur : sunt illa profecto, sunt in stomacho quærenda; sunt illa malæ chylificationis effectus et producta; in stomacho igitur quasi in castris suis oppugnanda sunt.

1 Lib. de prisca. med.

ALTERI OBJECTIONI RESPONDETUR.

Sed demum objicias, si plerique morbi, ut tu censes, a stomacho oriantur, cur tot diversi ac distincti morbi genus humanum affligunt? cur tot distincta excogitari debuerunt remedia? Respondeat pro me Annæus Seneca [1]; « Simplex erat ex simplici causa valetudo; multos morbos multa fercula fecerunt, inde quantum rerum per unam gulam transiturarum permisceat luxuria terrarum marisque vastatrix! Necesse est itaque inter se tam diversa dissideant et hausta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum quod inconstans variusque ex discordi cibo morbus est.... quomodo ista perplexa sunt?.... Sic ex istis non singulares morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diversi, multiformes, adversus quos et medicina armare se cœpit multis generibus, multis observationibus, atque ita ampla evasit. »

ADMONITIO UT CAUTI SINT IN PRÆSCRIBENDIS ACTIVIORIBUS REMEDIIS.

Quapropter habentes semper præ oculis teneritudinem summam stomachi et sensibilitatem, ne, quæso, tam faciles sitis in præscribendis drasticis et quibusvis volatilibus, spirituosis ac summe activis remediis. « Oportet enim, ait Lister [2] ca-

1 In epist. XCV.
2 Exercitat. med. de arthritid.

» vere stomachi vexationem. » Tradit enim necessario universo corpori vexationem per sibi nervorum cognatam qualitatem. Scio quidem aliquos liberalius indulgere spirituosis ac volatilibus illis, quia ab eorum exhibitione sanguinis exspectant fluorem; verum advertant illi, medicamenta hæc ad massam sanguineam pervenire non posse, nisi postquam notam suæ activitatis impresserint tunicis stomachi; unde horrendi non modo in stomacho, sed in toto corpore verendi sunt tumultus, et postquam eadem medicamenta omni sua activitate spoliata fuerint.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE INSIGNI CONSENSU UTERI.

Ventriculi consensu satis superque stabilito ac elucidato, juvat, ad reliquas abdominis partes progrediendo, attingere uteri imprimis consensum, siquidem hic in sexu sequiori non minus quam sympathia stomachi sit observabilis. Sufficiet autem attigisse, quia consensus ille apud omnes practicos ita est celebris, ut nec de illo taceant ii, qui de aliarum partium sympathia nec verbo quidem meminerunt.

UTERI GENERALIS CONSENSUS PROPONITUR.

Uteri cum omnibus et singulis corporis partibus generalem consensum pulchre exhibet Willisius agens de *febribus puerperarum*. « In puer-
» perio, inquit, modis prædictis (ab ejus scilicet concidentia sive ab ingravidationis mole ad naturalem situm et magnitudinis reductionem, vel ab unitatis solutione intra cavitatem ejus propter diruptam placentæ connexionem etc.)
» noxa utero infertur, eadem aliis partibus non
» sine totius corporis molestia cito communica-

» tur.... Sic affectiones hystericæ latius exten-
» duntur propter insignem consensum, qui inter
» uterum et cerebrum cum totius corporis fibris
» et membranis, mediante nervoso ductu, inter-
» cedit. Quum enim nervorum extremitates, circa
» partes uterinas consitæ, ob humoris noxii præ-
» sentiam in spasmos et motus convulsivos adi-
» guntur, convulsiones, illic susceptæ statim
» superius latæ per nervorum nixus, περιστολὰς
» cerebrum versus perreptant; adeoque viscera
» successive inflari et immaniter convelli, et cere-
» brum demum ipsum percelli, ejusque functio-
» nes veluti obrui contingit. Hinc, a motibus
» convulsivis, circa uterum exorsis, ventris et
» hypochondriorum inflatio, rugitus, vomitus,
» singultus, præcordiorum angustiæ, respiratio
» difficilis, præfocationis sensus, et sæpe stupor
» et aphonia aut saltem ex his aliqua concitan-
» tur. Nec ita plane cessat tragœdia, quin, cere-
» bro per continuationem affectus etiamnum
» læso, exinde in alias partes noxa retorqueatur,
» ut sæpe totum nervosum genus in motuum
» anomalias compellatur. Quod enim per vapores
» fieri vulgo dicitur, et affectus qui, ab infra ad
» superiora perreptans, vaporum ascensus voca-
» tur, nihil aliud est, quam membranarum duc-
» tuumque nervosorum partes successive in
» spasmos adactæ. »

Satis credo evidenter, ex hac Willisii descriptione hystericæ, uteri consensus ostenditur: sed

multo etiam uberius idem probatur ex eo, quod parturientium dolores, ut optime adnotavit Valentini, spasmi uterini inevitabiles non raro in horrendas desinant convulsiones et epilepsias quæ, si radices egerint in systemate nervoso plicamque quamdam et habitum convulsivum induxerint, ad ultimum non raro vitæ terminum perdurare solent ac mulieres hystericas efficiunt. Qui plura de generali uteri compassione argumenta desiderat, adeat celebriores medicos qui penitius rem hanc elucidarunt, qualis est v. g. Bayle in Dissertatione de *peculiari uteri consensu.* Sennertus [1], ubi agit de dolore capitis, de cordis, hepatis, ventriculi aliarumque partium affectionibus, non dubitavit singulis speciale caput adjungere, quo eorum causam ex consensu uteri deducat. Eamdem fuisse Hippocratis mentem contendit auctor Nuclei Hippocratis : « Refluens, » inquit [2], sanguis ab utero et premens septum » transversum, retracto utero, præfocationem; » in caput irruens, insaniam, epilepsias, catochos, apoplexias; occupans thoracem, tussicu» lares affectus ; irruens in cor, palpitationes et » tremores cordis, nonnumquam syncopes; in » nervos denique, facit stuporem, immobilita» tem et resolutionem. »

1 Prax. lib. 1. cap. 6.
2 Centur. III. aphor. 44.

Hæc breviter de generali uteri consensu. Perstringamus itidem eum, qui cum singulis intercedit partibus. Quum notum sit, caput omnium et singularum corporis partium affectionibus compati, nemini mirum videri debet, si dicamus, et caput utero vehementer condolere. Illud tamen mirandum est, quod plurimorum practicorum ac nostra propria experientia exploratum est, dolorem capitis ab utero concitatum in occipite vel vertice capitis se manifestare. « Frequen-» tes, inquit Sydenhamus, sunt mulieribus in » occipite dolores frigidi, quasi glacies ibidem » jaceret, qui a practicis utero male habenti ad-» scribuntur; et vere, hoc curato, dolor evanes-» cit. » Et hinc etiam est quod inter signa pathognomica hystericæ ponatur talis dolor, præcipue si exteriorem capitis partem occupet, pericranium inter craniumque dolorem vix tolerabilem adferens, in quadam tantum particula, quæ transverso pollice contegi posset : jugiter defixum clavum vocant hystericum. « Fit inter-» dum, inquit Ettmullerus [1], ut solum occiput » doleat, idque frequentius in mulieribus; qui » dolor muliebris conjunctus est cum sensu fri-» goris istius loci, quasi glacies intra calvariam » esset recondita. Talis dolor fit imprimis per

1 Colleg. pract.

» consensum uteri, et raro fallit, quandoquidem » semper ex utero oriatur. »

Langius testatur [1] : « Illud plus quam centies » expertus sum, in hystericarum et quavis » uteri affectione verticem capitis, prope suturam » coronalem, qua glaciei frigus et pondus » se sentire fatentur, utero affecto, lege quadam » consortii condolere. Quod si observaveris » ad discernendum quando caput per matricis » consensum dolet, tibi plurimum proderit. »

Crato dixit [2] : « Fiunt dolores capitis plerumque » per consensum, et in fœminis præsertim » ventriculi et uteri. Quando per consensum ventriculi, » tunc dolet fere pars anterior; quando » uteri consensu, dolet posterior. » Passim in libris *de morbis* scripsit Hippocrates, uterum maxime sincipiti condolere. Mulier quævis tum demum de gravissimo sincipitis dolore conqueritur, quum erumpunt menses, adeo magnus est uteri cum sincipite consensus.

EX UTERO CONVULSIO.

Dolor ille, non ibi modo subsistit, sed et nonnumquam a capite ad alias quasvis vibratur partes, ut satis pulchre explicat Baglivus : « Incipientes spasmodicæ oscillationes in hysteri- » cis si successive cerebro communicentur, ex-

1 Epist. medic. lib. 1.
2 Epist. lib. 4.

» citant in eo vertigines, dolores, sopores, alias-
» que similes affectiones; et quando oscillationes
» cerebro communicatæ sunt vehementes, tunc
» a cerebro sensim ad externas partes oscillando
» propagantur. Hac de causa forte hystericæ su-
» perveniunt convulsiones, epilepsiæ etc. : par-
» tui quoque difficili epilepsia supervenit, quæ
» toties repetit, quoties ægra conatum repetit
» parturiendi. » Idem confirmat Ettmullerus; dum agit de dolore capitis, sic loquitur : « Nam-
» que cum utero aut partibus ipsi connexis ner-
» vosum totius corporis genus consentit, uti
» patet in nixu parturientium, in quo sæpe ob
» consensum membranarum et reliquarum par-
» tium nervosarum convulsio supervenit; ita
» etiam ex vitio uteri quocumque sensiles mem-
» branæ graviter affici per consensum et hinc
» dolere possunt. »

Examinemus etiam reliquas capitis partes, quibuscum uterus maxime consentit.

UTERI CUM OCULIS ET FACIE CONSENSUS.

Ex facie et præcipue oculis uteri dispositio colligi potest. Baglivus dicit, menstruis erumpentibus, circulum lividum sub oculis detegi; vel et mulierculis notum est, tempore menstruorum alium esse oculorum aspectum. Totius porro faciei cum utero consensum paroxysmus hystericus abunde demonstrat.

Descendamus a capite ad fauces et reliquas partes. Nulli parti ita manifeste mala sua solet communicare uterus, quam faucibus; hinc vulgo notum est, signum pathognomicum hystericæ esse faucium constrictionem. Mulieres, in idea corporis hospites, vel etiam stolidi quidam medici uterum usque ad fauces ascendere dicunt, nimirum propter testimonium laborantium quæ asserunt, se percipere quasi globum aliquem qui ex abdomine ascendat ad fauces usque, easdemque præcludendo respirationem intercipiat.

Willisius, qui omnium primus rite nervorum distributiones est prosecutus, primo etiam videtur hoc phænomenon rite explicuisse [1]. Viderat ille nervos, per uterum dispersos, originem trahere ac ducere ex nervo intercostali; observaverat deinde nervum intercostalem, cranio egressum, constituere plexum gangliformem, a quo surculus unus in sphincter gulæ dimitteretur alter ad plexum gangliformen paris vagi; et exinde sic argumentatur : « Cæterum, inquit, ob-
» servare est, quum inter hos plexus commu-
» nicatio tam propinqua intercedat, quumque
» ab uno eorum in musculos laryngis ac ab al-
» tero in musculos gulæ surculi mittantur, ra-
» tionem hic assignari posse cur in affectibus
» hystericis et quibusdam hypochondriacis, præ-

1 In sua nervor. descriptione.

» focationis sensus in gutture symptoma ita
» crebrum et familiare existat. Enimvero spas-
» mus in nervo quopiam incipiens, ejusdem
» ductu ulterius prorepere solet, adeoque par-
» tes modo has, modo illas successive invadere.
» Si quando igitur spasmus in utrovis paris vagi
» aut intercostalis nervo alicubi oriatur et exinde,
» sursum aut deorsum tendens, ad alterutrum
» plexum pervenerit, illico ambobus affectis,
» musculisque in tota vicinia contractis, in
» gutture moles seu tumor, globi instar, cum
» præfocationis sensu excitatur. »

CUM PECTORE.

Uteri consensus cum pectore tantus est, ut non raro hystericas quasi suffocatas invenias, in quibus respiratio in tantum abolita est, ut nullis signis eam superstitem detegere queas: frustra specula, incassum plumæ ori admoventur, nullus percipi potest aëris exitus aut introitus, ita partes, ob consensum spasmodice constrictæ, in motu suo impediuntur. Ad hanc suffocationem advertens Helmontius [1], duplex statuit asthma, unum quidem muliebre, ex solo uteri regimine pendens; alterum vero promiscuum utrique sexui commune. Est autem asth-

1 In Tractatu, cui titulus : Asthma et tussis.

ma ex utero tam commune ac frequens huic sexui, ut omnem uteri arythmum, qui permultiplex est, scholæ dicaverint uteri præfocationibus, unoque veluti capite ingens volumen morborum præteriisse voluerint.

Ad pectus referri possunt mammæ, quarum cum utero consensum vel probant plures aphorismi Hippocratis, vel saltem supponunt : « Si » mulieri utero gerenti mammæ subito extenuen» tur, abortus sequitur [1]. » Item : « Mulieri utero » gerenti si lac e mammis fluat copiose, fœtum » imbecillem indicat. Si vero firmæ solidæque » mammæ fuerint, valentiorem conceptum signi» ficant [2].» «Quæ fœtum sunt perdituræ, iis mam» mæ extenuantur [3]. » Item : « Mulieri, si men» strua voles sistere, cucurbitulam quam maxi» mam ad mammas appone [4].» Porro, quantopere partes illæ sibi correspondeant quamque cito noxa unius communicetur cum altera nusquam luculentius quam ex puerperarum morbis observari potest. Si post partum superstes manserit in utero secundinæ pars; si uterus durius tractatus inflammetur vel exulceretur, non modo febris insurgit maligna, dicta puerperarum, sed mox lactis suboritur defectus; ita et vicissim a mam-

1 Lib. V. aphor. 37.
2 Ibid. aphor. 52.
3 Ibid. aphor. 53.
4 Ibid. aphor. 50.

marum dolore continuo lochia supprimi, quotidiana docet experientia : «Dolentibus mammis, » inquit Baglivus [1], post partum lactis causa, » lochia supprimuntur sæpissime ; remittente » mammarum dolore, lochia libertati restituun- » tur. » Quid quod, mammis contractis, puellarum uterus pruriat ? Clarissimus noster Verheyen, explorans causam quare uno tempore potius quam alio lactis fieret generatio, non dubitavit illam ex eodem hoc consensu repetere. Merito igitur dixit Duretus, magnus ille in Hippocratem commentator : « Mammæ et ute- » rus jure societatis mutuo se afficiunt mutuas- » que tradunt operas mulierum rebus, tam bonis » quam malis. »

CUM STOMACHO.

Maxima uteri sympathia habetur cum iis partibus quæ abdomine includuntur, ac imprimis cum ipso stomacho. Notum est quam frequentibus stomachi morbis vexari soleant gravidæ, uti et illæ quibus menstrua suppressa sunt; quorum omnium causam non in humoribus vitiosis ventriculi, sed in uteri consensu posuere auctores omnes. Audiamus unum alterumve, et imprimis Hippocratem : « Rigor, cordis dolor (hoc est oris » ventriculi) iis quæ febricitant a partu familia- » res sunt, ob consensum ventriculi et nervorum

1 Tract. prim. cap. 11. de lacte.

» cum utero. » Lentilius, in *suo Eteodromo medico*, agens de vomitu uterino, « Circumstantiæ, » inquit, demonstrant hunc vomitum nullo sto- » machi vitio cieri, nec enim inappetentia adest » nec ciborum ejectio ; sed acceptum ferendum » est consensui nervorum, ramulorum scilicet » paris vagi per stomachum æque ac uterum dis- » seminatorum et connexionem quamdam inter » hæc viscera stabilientium. Hinc nervinis magis » quam stomachicis, hic raro juvantibus, rem » expediri posse existimans, ordinavi etc. » « Do- » lorem gravativum inquit Valentini, ex parte » constrictivum, qui a matrona quadam circa » scrobiculum cordis et in spina dorsi sentitur, » et tantum non suffocationem minatur, non ex » alia causa, quam a sanguine menstruo, circa » uteri confinia ob vasorum constipationem sta- » gnante uterumque affligente, derivare licet : » hic enim, ob summum illum consensum quem » cum reliquis visceribus, imprimis ventriculo, » alit, intervenientibus plexibus nervosis [1] cris- » pationem plexus stomachi producit, unde dolor » ille circa scrobiculum cordis (sub quo orifi- » cium sinistrum stomachi latet) qui, nervos in- » tercostales et ipsius diaphragmatis in consen- » sum trahens, suffocationis periculum inducit.»

1 A Willisio tab. XI. depictis.

De hac re consuli etiam potest Mauriceau, ubi agit de vomitu gravidarum [1].

CUM MESENTERIO.

Quanquam uterus nullam partem abdominis membranaceam ac sensibilem relinquat immunem, singularem tamen cum mesenterio connexionem habet, nimirum propter nerveos illos plexus, qui in mesenterio sunt frequentiores ac majores, ut merito Willisius dixerit : « Plerique abdominis plexus, præsertim vero infimus » et affinis ejus mesenterii maximus, in passionibus hystericis vulgo dictis sæpenumero afficiuntur (prout mox declarabitur); itaque si » quando tales affectus ab utero procedant, » causa patet quare prædicti plexus in consensum trahantur. Porro illud symptoma in paroxysmis ejusmodi valde frequens, nempe quo » velut globus ab imo ventre efferri ac circa umbilicum impetuose exsilire percipitur, ut perinde uteri ascensus perhibeatur, dico, id nihil » aliud esse, quam immanes horum plexuum » spasmos. Sæpe quidem in feminis, ac interdum etiam in viris, novi, quum affectio convulsiva invaderet, primo molem in hypogastrio » assurgere visam, dein circa medium abdomen » intumescentiam ita immanem successisse, ut

1 Traité des maladies des femmes grosses et accouchées, liv. 1.

» viri fortis manibus, utut validissime intentis, » haud comprimi aut inhiberi potuerit. Procul » dubio admirandi hujus affectus causa est, » quod intra paris intercostalis nervos spiritus » animales influi, quoties ἀταξίας sive motus » convulsivos ineunt, primo (uti plerumque as- » solet) circa nervi extremitates, nempe in plexu » abdominis infimo, effervescere ac velut explodi » incipiant; quæ illorum affectio quum, sursum » perreptans, ad plexum mesenterii maximum » deferatur, adeo ut spiritus, ejus incolæ, pari or- » dinatione corripiantur, nihil mirum est, si ista » medii abdominis intumescentia ac velut mate- » riæ cujusdam nitrosulphureæ explosio cietur. » Enimvero haud probabile est, symptoma istud » ab utero ascendente ac sede sua dimoto exci- » tari posse; quia, præterquam quod hæc pars » in loco suo fixa et ligamentis firmiter stabilita » est, etiam moles ejus in virginibus ita parva » est (nam vix nuce juglande major), ut, licet » in ventrem elata, ejusmodi intumescentiam » minime producat. »

CUM HEPATE.

Propter eamdem plexuum inter se communicationem, torqueri sæpius videmus hystericas vomitibus materiæ viridis, quam materiam non aliunde recte deduxeris, quam a spasmodicis contractionibus, per plexum hepaticum traduc-

tis ad vesiculam fellis. Quapropter hujusmodi vomitus frustra curare conaberis per emetica aut cathartica; « Nam, ut ait Sydenhamus [1], » quo plura dederis emetica aut cathartica, eo » copiosior sequetur bilis proventus : nec diffi- » cilis est ratio; etenim impossibile est, ut spas- » mi ab utero in partibus illis excitati in infini- » tum non augeantur. »

CUM INTESTINIS.

De consensu uteri cum intestinis hoc tantum dicamus, eumdem esse valde notabilem : id quod manifestant flatus, borborygmi, tensiones, tormina intestinorum in hysterica ita frequentia; item post cruciatum partus excitatæ colicæ sive intestinorum dolores, communicatis crispaturis ab utero ad intestina. Taceo quomodo uterus afficiat partes sibi vicinas, contiguas et annexas, intestinum rectum, inquam, èt vesicam, quum hoc loquantur urinæ incontinentia vel suppressio in gravidis. Quibus addi potest, quod omnibus mulieribus, jamjam partui proximis, fiat passio quædam stranguriæ similis.

CUM LUMBIS.

Abdomine si egrediamur, offerunt se primo lumbi. Hi, prout in parturientibus magnopere patiuntur, ita in hystericis magnam etiam doloris

1 Dissert. epist. de variolis, malo hysterico etc.

partem sustinent. Etenim hystericæ, teste Sydenhamo, finito paroxysmo, habent dorsum quasi fustibus probe fuisset dedolatum, quorum equidem causa videtur potissimum esse insertio ligamentorum latorum uteri in hisce partibus. Ita similiter in praxi observatur, si ob tumorem uteri aut ejusdem distensionem convulsionemve rotundorum ligamentorum aliquod intendatur, tensio sentitur in inguine et interna parte femoris ; ad illas enim partes desinunt ligamenta rotunda. Et hanc ob rationem, secundum Hippocratem, os uteri, contortum plenitudine, dolorem coxæ et cruris infert enixis mulieribus non bene purgatis.

CUM PARTIBUS SUBCUTANEIS.

Consensum uteri cum partibus subcutaneis rursum detegunt febres puerperarum, ortæ a secundina in utero detenta, vel ab inflammatione vel ulcere uteri. Quæ febres non modo paroxysmos suos inchoant cum rigore et horrore aliisque partium subcutanearum affectionibus, sed sæpius, illis redeuntibus, persistunt. « Hanc » ob rationem, dicit Baglivus [1], sub rigore fe» brili menstrua quoque sistuntur. » De qua re dignissimus, qui consulatur, est Willisius [2]. Præterea in actu fluxus menstrui si frigida mer-

1 De fibra motrice, lib. 1.

2 De febribus, cap. 16. quo de puerper. febrib. agit.

gantur pedes vel manus, vel frigidam hauriat mulier, vel si super lapidem frigidum sederit, menstruatio confestim intercipitur. Hic etiam notatu dignum est, quod mulierculis quam medicis forte notius est et cujus obiter facit mentionem Freind [1], si mulier in actu menstruorum frigidum induat indusium, confestim eruptio intercipitur; si vero eadem menstruis vixdum cessantibus induat, mox revocatur fluxus : sic vidisse memini quamdam cui quum abundantior ac largior fluxus cessaret, idem statim revocatus fuit, quum incaute frigidum indusium induisset. Hujus phænomeni quam aliam invenias causam, quam uteri cum partibus exterioribus corporis singularem consensum? Nam quid facilius concipias, quam a frigido superinducto in menstruante oscillationes tubulorum uterinorum intercipi ac ductus excretorios omnino constringi; menstruis vero cessantibus, ubi oscillatio tubulorum jam quiescit, a frigore suscepto, ut stimulo quodam, rursum excitari posse? Ita stimulorum diversus habetur in corpore effectus, non tantum a diversa eorum activitate, sed, si ita loqui liceat, receptivitate. Recte igitur dixit Democritus [2], « Uterum mulieribus sexcentarum ærumnarum causam existere. »

1 In Emmenologia.
2 In epist. ad Hipp.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE CONSENSU ALIORUM VISCERUM ABDOMINIS, INTESTINORUM, HEPATIS, LIENIS, MESENTERII, RENUM, VESICÆ.

Abdominis cavum præcipue replent intestina quorum etiam summum esse consensum, praxis nos docet. Quod mirum nulli videri debet, quum intestina ejusdem fere sint substantiæ ac ventriculus, quo fit, ut mala sua non minus facile aliis partibus communicent et æque participent mala partium remotiorum. Non disseram hic de singulorum intestinorum speciali consensu : in rem nostram suffecerit, si totius tractus intestinalis consensum generatim exposuero.

INTESTINORUM INTER SE CONSENSUS.

Consensus intestinorum inter se eodem modo explicari potest, quo consensus eorum cum ventriculo ante fuit dilucidatus. Omnia quippe intestina sunt unus idemque continuus tractus ejusdem substantiæ similiter connexæ, a summitate gulæ usque ad extremum podicis hiatum, totus tractus una est substantia membranacea; ex quo hoc etiam consequitur, affectionem,

quam intestinum aliquod certo loco patitur, debere statim ob fibrarum continuatam seriem per totum tractum propagari. Exemplo sint enemata quæ, quamvis non ascendant usque ad intestina tenuia, dolores tamen, quorum causa est in intestinis tenuibus, sedant.

SYMPATHIA INTESTINORUM CUM ALIIS PARTIBUS.

Intestinorum sympathiam cum aliis a se distinctis partibus breviter et dilucide proponit Bausner [1] : « Partes, inquit, ab intestinis quo- » quo modo affici solitæ, hæc fere sunt : cere- » brum; accidit quippe, ut ægri, ex intestinorum » vulnere decumbentes, nonnumquam epileptici » concidant : cor; quod propterea ab intestinis » per consensum affici creditur, quoniam in » iliaca passione syncope cordis, palpitationes » crebræ accidant; nec enim, nisi corde patiente » et consentiente, hæc fieri possunt : respiratio- » nis organa; nam in iliaca passione, præter alia » symptomata, spirandi maxima oritur difficul- » tas, actio autem *non læditur illæsis organis* [2], » errore scilicet interno : ventriculus multum ab » intestinis patitur sæpiusque ad vomitum inci- » tatur : vesica denique urinaria; modo enim » urina ab illis intercipitur ac plane supprimi-

1 Tractatu de consensu partium.

2 Quam veritatem optime confirmavit doctissimus Broussais, prop. 460-463.

» tur, modo stillicidium vel urinæ difficultas in-
» ducitur. »

INTESTINORUM CUM HEPATE SYMPATHIA.

Quod a Bausner generaliter dictum est, nos propius examinemus. Hepatis imprimis consensus vel ex eo probatur, quod a colicis doloribus bilis copiosissimam profusionem in intestina contingere praxis indies doceat. « Notabile est, ait,
» Hofmannus [1], ab immani coli dolore, spasmo
» sic propagato ad ductum cholidochum et ejus
» orificium fibris motricibus instructum, inter-
» dum icterum produci. In dysenteria vicinæ
» partes, uti epiploon, ventriculus, thorax et
» pulmones in consensum trahuntur; cujus rei
» exemplum scholiastes apud Hollerium reci-
» tat, teste Sennerto [2]. »

CUM VIIS URINARIIS.

« In ventris diris cruciatibus, ait Baglivus,
» urina sistitur, spasmodica fibrarum distensione
» a parte ad partes communicata. » De ingenti intestinorum cum renibus sympathia, ex qua tam frequentes sunt colicæ nephriticæ, pluribus agetur ubi de renum consensu.

1 In notis ad Poterium.
2 Cap. de dysent.

CUM TOTO GENERE NERVOSO.

Evidens est intestinorum cum toto genere nervoso sympathia; condolent enim omnibus nervosis partibus, et hæ vicissim illis. Infantum tormina in epilepsiam cedere, indies observamus. « Colicos dolores, inquit Ballonius, sæpe in epi- » lepsiam desinere, novum non est; imo et in ar- » tuum resolutionem, quod Paulus Ægineta ad- » notavit, et post eum Avicenna. » Intestinorum dolor trahit in consensum alias partes easque vel pertinaci paralysi resolvit, vel constanter contrahit, sed eas præcipue quæ motui inserviunt. Frequens equidem est in praxi paralysim colicæ intensiori, et potissimum illi quam Pictonum vocant, supervenire. Idem testatur Ettmullerus [1] de spasmodicis affectionibus : « Certum » est, inquit, quod dolores abdominis convulsivi » sint pertinacissimi et, nisi recte tractentur, fa- » cile degenerent in aut pareses aut contracturas » artuum. » Patiuntur vicissim a nervosis partibus intestina; id quod patet in epilepsia, motibus hystericis, aliisque nervinis affectibus, et gravioribus doloribus, quando alvus semper constricta est pertinacissime, doloribus vero cessantibus laxatur : ut autem capiti præsertim respondet, ita in doloribus ejus alvi lubricitas plurimum solatii adfert.

1 Colleg. pract.

RATIO HUJUS CONSENSUS.

Si rationem quæras, dicam breviter, videri mihi partium harum internarum cum aliis nervosis externisque consensum recte deduci posse ex eo, quod nervus intercostalis, juxta vertebram dorsi descendens, recipiat ubique aliquos ramos a spina dorsi, uti hoc mirifice exponit Vieussens : « Nervi, inquit, paris intercostalis » circa singula vertebrarum internodia a nervis » spinalibus (si primum et ultimum par excipias) utrimque ramulum excipiunt, ipsique » vicissim singulis nervis dorsalibus utriusque » lateris (primo pari excepto) ramulum unum » impertiunt. » Ex hac observatione sic idem pergit nobiscum ratiocinari : « Si in plexibus, » tam abdominis quam pectoris, inordinati ac » violenti motus producantur, protinus omnes, » tum exteriores, tum interiores corporis partes » in consensum trahuntur; videlicet quod nervi » intercostales cum nervis omnibus spinalibus » communicent et medii infimique ventris partibus propagines suas impertiant, adeo ut mirum » non sit, quod in affectibus hystericis et quibusdam hypochondriacis, modo totum corpus, » modo dimidium aut quædam tantum illius pars » graviore vel leviore spasmo corripiatur, quum » modo uterque, modo alteruter solum nervus » intercostalis in toto suo tractu vel in aliqua tantum sui parte gravius vel levius affici possit.

Utut est, negari non potest, quin in praxi exempla consensus ejusmodi sint frequentissima. « Contractura, inquit Hofmannus [1], brachiorum » non raro est symptomatica, et fit ex spasmo- » dica contractione intestinorum. » Sic non ita pridem adnotavi in femina, si quæ ulla, obesa et cacochymica, dum sumebat pulverem ex resina jalappæ et tartaro vitriolato confectum, non modo vehementissima tormina (dum resina coagulata adhæsit intestinorum tunicis), verum etiam unius lateris paralysim cum aphonia brachiique contractura molestissima. Curata fuit antispasmodicis, nervinis, et oleosis demulcentibus.

INTESTINORUM CUM PARTIBUS SUBCUTANEIS CONSENSUS.

Cum partibus subcutaneis intestinorum non modica intercedit societas : etenim dum cutis est arida, alvum constat esse lubricam et contra. Quod licet aliqui tribuere malint seri transpirationi impeditæ, quod in majori copia ruat versus intestina, negari tamen non potest, quin peculiaris consensus concurrat; siquidem videmus sæpe eodem momento, quo cutis siccatur, alvum solvi. Quod ex eo etiam confirmari potest, quod, teste Baglivo, in vehementibus doloribus articulorum alvus supprimatur : ex quo colligitur inter articulos et intestina specialem existere consen-

1 In notis ad Poterium.

sum. Et hinc est quod arthritidis in colicum dolorem perfacilis sit mutatio, ut pulchre in *sua praxi* Baglivus hoc testimonio Hippocratis exponit [1] : « Cui intestinum colon in dextra primo » dolebat, articulari morbo correptus quietior » erat : postquam vero hic curatus erat, intesti» num magis dolebat. » « Ex quo, ait Baglivus, » arguitur magnus ille consensus, ab intestinis » ad ambitum corporis et contra, toties a nobis in » hoc opere repetitus.... Multis, ante invasionem » paroxysmi podagrici, superveniunt dolores co» lici, quibus evanescentibus, statim manifesta» tur podagra. Ideo magis magisque confirmatur » consensus prædictus inter glandulas cutis et » glandulas intestinorum. Hunc forte ob consen» sum timere solent practici, ne podagra retro» pellatur, ut aiunt, ad intestina, verum non ob » podagram, pergit auctor, sed quia podagra ad » articulos non defluit, moriuntur ægrotantes. » Qui locus Baglivi merito a medicis examinetur.

DE HEPATIS CONSENSU.

Ad viscera alia abdominis progrediamur : proximum et maximum est hepar. Transeo, quæ veteres de magno ejus in cætera viscera imperio fabulati sunt, dum hepar sanguificationis primarium dicebant instrumentum. Suffecerit hic notasse, hepar mala sua posse communicare par-

1 Lib. de humoribus, in fine.

tibus aliis et quidem remotis per affectionem membranæ illud investientis. Consensum hunc maxime elucidant symptomata quæ supervenire solent obstructionibus ejus, inflammationibus, vulneribusque, uti apud auctores videri possunt. Adferamus equidem hic specimina aliqua consensionum non ita obviarum, ne actum videamur agere. « Unum, ait Ballonius [1], animadver-
» tere oportet, quod et therapiam et diagnosim
» imprimis facit, omnibus jecorariis, id est,
» quibus grandius est hepar, amplius, tumen-
» tius, et calidius, quum febribus magnis pre-
» henduntur, maxima ex parte tempore urgentis
» febris, dolores in claviculis et secundum omo-
» platas sentiri satis vehementes.... hepate ac-
» censo, aut inflammato, aut per insignem fe-
» brem æstuante, plurimum dolor potest ad jugu-
» lum pervenire. Reperio enim, bifariam dolorem
» tensivum ratione ipsius jecoris surgere; aut
» enim hepar nothis costis alligatur, et tunc do-
» lor ad claviculam percipitur ratione distentæ
» membranæ; quibus non alligatur, a vasorum
» potius quam membranarum distensione dolor
» exsurgit. Quidquid id est, hoc in praxi dili-
» genter notandum, tensiones hepatis ad clavicu-
» lam usque propagari. » Reflexione quoque dignum est, quod a Baglivo memoriæ proditum : « Quibus lien aut jecur, inquit, schirro aut alia

1 Lib. 1. consilio 75.

» de causa obstructum est, ii difficulter sudant
» sub morbis, non tantum ob humorum visci-
» ditatem, ut vulgo creditur, quantum quia ob
» obstructionem, intentis crispatisque vicinis vis-
» ceris fibris, sudoris excretio impeditur, tra-
» hitur in consensum cutis, crispatis ejusdem
» fibris sudoris excretio impeditur. »

Quid ? quod abscessus latentes hepatis, teste Baglivo [1], per intolerabiles cruris aut suræ dolores nullis remediis cedentes manifestantur. Hujus asserti plures auctores fidem faciunt; inter cæteros Hollerius sic loquitur : « Mirum
» forte, inquit, quod nos bis terve observavi-
» mus, dolores cruris aut suræ intolerabiles qui
» neque fotu, neque litu, neque cataplasmatis
» cesserunt; mortuis vero ægris crura novaculis
» incidimus, et pus album, pallidum, et leve
» erupit spatiis inanibus musculorum diffusum,
» et majori vena conclusum; atque, ut nota-
» retur locus unde pus ejusmodi veniret, aperto
» ventre, vomicosum jecur et putridum inven-
» tum est : et taliter affecti procul dubio mo-
» riuntur. »

CONSENSUS LIENIS.

Lienis similis fere est consensus ac hepatis : notabilis imprimis observatur horum viscerum conspiratio. « Magni lienis, inquit Baglivus,

1 Comm. ad lib. 2. Coac. Hipp.

» magna est cum jecore sympathia. » Quod et a Willisio adnotatum est : « Nervorum, inquit [1], » ductu videtur fieri, ut dolores hypochondriaci » e sinistro latere in dextrum sæpius transcur» rant, quatenus nimirum spasmus in plexu » lienari inceptus ad hepaticum traduci solet. Idem a Vieussens latius deductum est : « Nervos, » inquit, plexus stomachicum, lienarem, hepa» ticum et utrumque renalem, plexus mesen» terici superioris interventu, invicem commu» nicant; atque mirum non est, quod lienis » inflationibus nephriticis et colicis doloribus » vomitus ut plurimum superveniat, quum per » ejusmodi communicationem inter omnes abdo» minis partes, ac præsertim inter stomachum, » intestina, lienem et renem sinistrum, adeo » stricta sympathia habeatur, ut spasmo in » parte quapiam aut viscere, quod supra memo» rati plexus respiciant, incepto mox aliæ par» tes, ad quas nerveæ plexuum eorumdem fibræ » pertingunt, in consensum trahantur. Imo ner» vorum ductu fieri videtur, ut dolores hypo» chondriorum e sinistro latere in dextrum, et » e dextro in sinistrum sæpius transcurrant, » quatenus scilicet spasmus, in nerveis alteru» trius lateris plexibus inceptus, in plexus op» positos traducitur. » Et paulo post : « Magnæ » perturbationes, inquit, quæ in sinistro hypo-

1 Nervor. descript.

» chondriorum latere excitari solitæ, quæque a
» nervorum splenicorum corrugationibus pen-
» dent, non solum in lienis procinctu tumultus
» cient, sed etiam cordi, imo et aliquoties toti
» corpori motus inordinatos inducunt. Hypo-
» chondriacos enim observare est, quibus sta-
» tim a liene perturbato præcordia, deorsum
» tracta, immaniter comprimuntur ac constrin-
» guntur, adeo ut ipsi valde tristes et animo
» dejecti de summa pectoris angustia, spirandi
» difficultate, aliisque gravibus affectibus, qui
» lienosis passim obveniunt, conquerantur et se
» moribundos existiment. Sympathica ejusmodi
» symptomata ea occasione producuntur, quod
» nervei plexus lienaris fibræ, e nervo inter-
» costali sinistro prodeuntes, plexus ganglifor-
» mis semilunaris sinistri interjectu, cum fibris
» pluribus e sinistri octavi paris vagi nervo
» exortis uniantur; unde fit, ut illæ spasmo
» correptæ istas, et deinde sinistri nervi inter-
» costalis simulque sinistræ octavæ conjugationis
» nervi truncos, præcordiis respicientes, deor-
» sum contrahant. »

MESENTERII CONSENSUS.

Non possum quin de mesenterio hic moneam, cujus in producendis morbis et symptomatis in remotis partibus major vis est, quam vulgo existimetur. Quot enim morbi, perperam utero, intestinis, aliisque abdominis visceribus adscripti,

in mesenterio sedem habent? Exemplum adfert Willisius : « Adnotemus alium, inquit [1], quem-
» dam affectum, scilicet dolorem colicum, ad
» plexum abdominis et imprimis ad mesenterii
» maximum pertinere. Enimvero opinari subest,
» acerrimos cruciatus, qui in morbo isto excitari
» solent, non a materia excrementitia intestino-
» rum cavitatibus inclusa, neque semper ab hu-
» more acri eorum tunicis impacto, attamen
» sæpius a succo nervoso acrimonia quadam im-
» buto atque intra hunc plexum stagnante pro-
» venire; unde, præter hujus cum plexibus tum
» hepatico tum lienari consensum, doloribus his
» vomitio crebra et immanis supervenit. » Enimvero, si quis consideret mesenterium præ reliquis partibus esse nervosum; si idem plexuum distributiones cum Willisio et Vieussens diligenter prosequatur, non solum agnoscet consensum, sed et causam illius percipiet.

VIARUM URINARIARUM CONSENSUS.

Supersunt modo viæ urinariæ, renes, vesica. Renum quam latissime se extendit sympathia! Incipiamus ab ipso capite.

IMPRIMIS RENUM CUM CAPITE.

Renes affecti et maxime calculo obsessi per consensum cephalalgiam inferunt, ut constat ex

1 Nervor. descript.

Bartholino. Curiosa est observatio hemicraniæ ejusdem lateris, cujus ren calculo erat obsessus. Similes cephalalgias ex dolore nephritico observavit Forestus [1]. Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus aut delirio pereunt, ut in nonnullis se observasse, testatur Baglivus.

CUM PECTORE.

Renum cum pectore consensus pulchre exhibetur hoc Ballonii consilio [2] : « Quidam orthopnœa » laborare videbatur, unde gravissime haberet. » Nonnulla erat suspicio affecti pulmonis, non » tamen certa erant argumenta quibus appare» ret vitium in pulmonibus conceptum. Tamen » quum orthopnœus et anhelosus maneret, quæ» situm quæ illius difficultatis causa esset? Multis » ad unguem pertractatis, in eam ventum est » tandem opinionem, ut nihil tale in pulmonibus » consistere crederetur, quod eam difficultatem » inveheret; sed, ut plerisque alii sunt oculatio» res, dictum est, suspicionem esse magnam cal» culi in renibus, quod quum contingit, aliqua » tamen difficultatis spirandi species apparere po» test. Consultum renibus est; deturbatus reme» diis convenientibus calculus, libertas respira» tionis est restituta. Causam autem ejus rei » volunt, quod nervulus est a sexta conjugatione

1 Lib. IX. obs. 51.
2 Lib. I. 46.

(sic veteres appellabant nervum octavum seu
» paris vagi) pervadens diaphragma et ad renes
» usque perreptans, qui oppressus, ut in oppo-
» sito femore stuporis sensum infert, ita in par-
» tibus superis difficultatem nonnullam respira-
» tionis afferre potest; nam renes ambigunt inter
» partes superas et inferas. Et nos vidimus mu-
» lieres aliquot et viros quibus familiaris renum
» dolor est gravis et pungens, qui sæpe conque-
» runtur de dolore lateris ac si pleuritis aliqua
» nothas costas occuparet, quum tamen nihil sit
» tale; sed, ob obsidionem renis a calculo aut
» ejusdem renis oppressionem ab aliqua re ob-
» struente, ratione nervi implantati in renis cor-
» pus, idem fit quod et in lienis aut hepatis tu-
» more aut obstructione. » Hæc omnia monet vir ille doctissimus adnotanda esse, ut non temere accusentur partes superiores, alioquin innocentes, quum malum se in inferioribus firmaverit. Consule eumdem ubi agit de rene purulento [1]. Lister, agens de calculo [2], refert, ægrotam aliquam calculosam, præter calculorum excretionem, passam esse cordis palpitationem assiduam, mingendi cupiditatem, lumborum et vesicæ dolorem, urinam aqueam, cibi inappetentiam. « Sæ-
» pius, ait Baglivus, in calculosis pulsus manus
» reni affecto respondentis parvus est depressus-

1 Lib. 7. art. 68.
2 Exercitat. med. de calculo humano.

» que, communicata dolorosa oscillatione con-
» tractioneque a renibus ad vasa e directo. »

CUM PARTIBUS ABDOMINIS.

Consensum renum cum aliis abdominis partibus satis evincit praxis quotidiana; nimis sæpe enim hæ partes noxam illorum persentiunt. Id quod recte ab Ettmullero adnotatum est ubi *in Praxi*, agens de calculo renum, sic loquitur : « Porro » superveniunt tormina colica satis acerba cum » nausea, vomitu, et similibus consuetis sympto- » matis in colicis, idque propter spasmodicas con- » vulsiones nervorum ex plexu meseraico in re- » nes, intestina, et stomachum transplantato- » rum; nervo enim renali ex dolore spasmo » affecto, continuatur ejusdem spasmus ad plexus » mesenterii nervosos, qui ipsi simili spasmo af- » fecti, spasmodica contractura intestinorum, » tormina colica, vomitum, nauseam, et similia » symptomata inferunt. » « Quo remoto calculo, » ut ait alio loco [1], et cessante irritatione fibra- » rum nervearum in renibus, vel sopito aliquan- » diu per opiata malo, urinæ redit transitus, et » melius se habent ægri. » Idem vidit Helmontius [2], dum inquit : « Contrahuntur venæ in » calculosis renibus (per venas intelligit ductus » renales), consentiuntque intestina, atque dolo-

1 Dissert. de vi opii diaph.
2 De Lithiasi.

» rem colicum ideo mentiuntur ob consensum; » qua de causa nephriticus dolor nondum per » scholas satis distinguitur. » Aliorum auctoritatibus adferendis supersedeo, quum vix sit auctor, qui eum non viderit atque adnotaverit. Et quis non viderit, qui ad lectos ægrorum vel a longe tantum adstiterit? Ignorare enim non possit, dolente rene, stomachum nauseare, vomiturire, ilia torqueri, stupere suppositum femur, urinam supprimi. Porro nauseam quemadmodum et vomitum materiæ viridis biliosæ non rectius adscripseris, quam vesiculæ fellis ob consensum copiosius bilem evomenti in intestinum duodenum et inde sursum adactæ ac regurgitanti; urinam vero supprimi, non modo est attribuendum renibus non sequestrantibus, vel ureteribus non transmittentibus, sed et collo vesicæ constanter constricto, ut Baglivus insinuare videtur, dum dicit, « Existente calculo in renibus, » motu, quem facit descendendo per ureteres » ad vesicam, irritatis crispatisque vicinarum » partium fibris, fæcum et urinæ secretiones » sistuntur. » In calculo renum dolor secundum longitudinem ureterum protenditur usque ad ipsos testes, qui et nonnumquam inde retrahuntur. De consensu renum asserit Morton in *sua Ephthisiologia*, quod tamen maxime locum habet de consensu vesicæ, ut suo dicam loco, in stranguria et dysuria calculosa, a lapide scilicet ureterem, imo ipsum renem, moleste pre-

mente, dolorem in extremitate ipsius penis ob membranæ continuitatem maxime sentiri : « Siquidem, inquit, nixu naturæ ad expellendum » calculum spasmodica quædam contractio totius » fistulæ urinariæ ab ipso rene oritur, quæ tamen maxime extremitatem penis specie ardoris » urinæ afficit. »

CUM LUMBIS.

Dolori renum indivulsus fere comes est dolor lumborum, de quo etiam primum conqueruntur : hinc est quod Duretus, magnus ille in Coacas commentator, referente Baglivo, dixerit : « Nephritis in sui contagionem et sympathiam lumbos inducit, dolorifica eorum mala fiunt nephritica. » Willisius hanc adfert rationem : « Plexus, inquit [1], renalis, præter nervum cum » plexu superiore communem, alium recentem » et peculiarem a nervo intercostali, seu potius » eo mediante a spinali medulla, accipit : hinc est » quod lumbi magnum consensum cum renibus » habeant, ac eorum affectus dolore gravativo et » late diffuso ita passim luant, in quantum hic » plexus cum mesenterii maximo communicat : » affectio colica et nephritica multum affines » existunt, ut sæpe difficile sit earum paroxysmos ab invicem distinguere. Tanta enim est » sympathia intestinorum cum renibus et renum

1 Nervor. descript.

» cum intestinis et utrorumque cum ventriculo, » ut colicus dolor et nephriticus, inter initia, » communia videantur habere signa et curatio- » nem. » Sinite, quæso, ut hac occasione hic obiter inseram signa, quibus nephritidem a colica distinguere possitis. Præter peculiaria quædam signa renis affecti, ut stuporem cruris, testis retractionem, arenularum excretionem etc., hæc nonnihil lucis adferent. Dolor nephriticus plerumque fixus est in rene, ab eo ad testem secundum longitudinem ureteris exporrigitur; colicus vero vagus est et cinguli instar ordinarie medium ventrem affligit : a pastu colicus augetur, secus vero in nephritide : in colica ab alvi depositione et vomitu majus sublevamen, quam in nephritide : in nephritide urina primum clara est et tenuis, nisi postea aliquid subsideat et arenulæ aut lapilli excernantur, in colica urinæ ab initio crassiores existunt : in nephritide difficillime incumbunt in partem affectam, quod in colica facile fit : denique nephritici, si vel pedem tantum alibi impingant, statim exclamant, non idem in colica fit : nota tamen colicas et nephritides sæpissime complicatum constituere morbum.

CONSENSUS RENUM INTER SE.

Redeamus unde digressi sumus : renum, non modo sub statu sano, sed et morboso, mirifica est inter se conspiratio. « Notabile hujus rei

» phænomenon observare, ait Ettmullerus [1] sub-» inde, licet in calculosis, quorum altero affecto » rene et a calculo in pelvi hærente interrupta » urinæ via, et alter socius ren benevalens offi-» cium negligit, adeo ut penitus hinc sequatur » urinæ suppressio. » Id quod et Forestus observavit [2], ac cujus curiosum occurrit exemplum in Actis Med. Hafn. [3] Riolanus scribit [4], non semel se observasse, uno rene obstructo, alterum inutilem reddi propriaque actione destitutum urinæ fluxum intercipere. Sic quoque Marchette affirmat [5], læso uno rene, ut alter officium præstet, vix contingere potest propter mutuum inter se consensum; affectus unius etiam facile alteri communicatur. Contingit hoc indubie, ait Hofmannus [6], a spasmodica crispatura fibrarum musculosarum, quibus ureteres constant. Prosunt tali in casu antispasmodica succinata et oleosa demulcentia. Quid? quod teste Baglivo, calculo existente in uno rene, dolor tantum perceptus fuerit in altero. Finiamus de renum consensu per historiolam, ex Baglivo meo [7] petitam : « Nobilis mulier, quadraginta annis

1 Colleg. pract.
2 Lib. XXIV. obs. 26.
3 Vol. IV. obs. 23.
4 Lib. II. anthropograph. cap. 26.
5 Anatom. cap. 5.
6 In notis ad Poterium.
7 De anat. fibrar.

» nata, derepente corripitur dolore renis sinistri
» cum vomitu et urinæ suppressione; omnia signa
» calculi renum, ab Hippocrate in *Coacis* de-
» scripta, aderant; variis exhibitis remediis, nihil
» levabatur. Interea dolor renum crescebat, urina
» prorsus suppressa; circa hypochondria sentire
» se dicebat fortissimam ligaturam summopere
» dolorosam, perinde ac si funibus esset con-
» stricta. Respirabat velut singultiendo; convul-
» siones internæ frequentes; tinnitus aurium in
» principio; inappetentia maxima; sapor oris
» pessimus; nulla vel levis febricula. Circa sep-
» timum diem omnia in deterius : venter tumere
» cœpit; ab umbilico ad costas mendosas circa
» stomachum pessime habebat; canes ibi esse ro-
» dentes et lacerantes asserebat. Nono die pessime
» in omnibus : tumores pedum, respiratio sin-
» gultuosa, remediis variis nihil proficientibus;
» sapor linguæ omnino malus; inquieta, anxia;
» sedere magis quam decumbere cupiebat. Bis
» terque gestata curru per urbem pejus habuit.
» Irritis balneis et quibuslibet remediis, die
» morbi undecimo obiit miserrime; vehemen-
» tissimis motibus convulsivis paulo ante mortem
» correpta, quibuscum periit fere singultiendo.
» Pulsus ante mortem parvi, et quædam veluti
» strangulatoria crispatura circa stomachum et
» œsophagum. Secto cadavere, calculus magni-
» tudine digiti pollicis incurvatus et, partim in
» pelvi, partim in principio ureteris existens,

» in dextro rene inventus est, quum tamen do-
» lor, quod sane mirum et observatione dignum,
» sinistrum duntaxat renem molestaret. Reliquis
» in partibus nihil morbosum observavimus. »

VESICÆ CONSENSUS.

Sequitur ut de vesicæ sympathia loquamur. Vesicæ magnum esse consensum cum toto genere nervoso, et ratio et experientia dictat. Quum enim tota membranacea sit et nervosa, afflictiones ejus febres aliasque inordinationes oscillatoriorum motuum in corpore producant, necesse est. Peculiarem ejus cum partibus nonnullis consensum optime calculus vesicæ deteget. Calculo vesicam infestante, æger non tantum sentit quasi obstaculum meatui urinario se opponens, ita ut quandoque totalis inde sequatur suppressio, (quandoque tamen mictio adest crebrior ita, ut urina vix cohiberi possit), sed et in penis glande dolor est et pruritus, item tenesmus et involuntaria fæcum ejectio. Quod et observavit Baglivus : « In calculo vesicæ, ait, adest in glande
» penis dolor, pruritus et irritatio continua,
» quod inter pathognomonica ac certissima cal-
» culi vesicæ signa est, ut in quatuor observavi,
» quibus lithotomia celebrata fuit. » Idem Parisiis in magno nosocomio regio, quo singulis annis undecumque frequentes lithotomiæ causa confluunt, constanter observavimus. Vesicæ cum intestino recto sympathiam exprimit Bausner

hisce verbis : « Intestinum rectum aut calculo » vesicæ exstimulatum, desidendi cupiditatem » excitat, aut ab ejus inflammatione contactum, » alvum facit adstrictam. » Hujus autem consensus causa a vicinitate horum viscerum petenda est ea ratione, ut verbis Baglivi utar, qua, quum mane somno expergiscimur et vesicam urina plenam habemus, si qui flatus exire velint ex intestinis, exire non possunt, vel saltem cum magna difficultate; distentis enim ab urinæ copia vesicæ fibris, distensio vicinis communicatur intestinis et hinc difficilis flatuum exitus redditur; sed pro ratione qua prodit urina e vesica et, hac de causa, ejus fibræ, ante nimium distentæ, laxantur, vicinæ pariter intestinorum fibræ laxantur, et eodem tempore flatus et urina magno cum impetu egrediuntur. A simili etiam vicino situ vesicæ et uteri plura sympathiæ specimina deducere licet. His junge quæ habet Vieussens : « Ex distributione nervorum, in- » quit, ratio desumi potest cur mictio dolorifica » tremulos et veluti convulsivos totius corporis » motus interdum excitet; hoc enim fit quoniam » vesicæ nervuli, acerrime vellicati, corrugan- » tur eorumque spasmus, nervorum intercosta- » lium ductu, nervis spinalibus communicatur » atque adeo partes omnes in consensum tra- » huntur, et ob perturbatum hospitantis in toto » systemate nervoso spiritus animalis motum, » tremulis iisdem motibus corripiuntur. Ex his

» quoque intelligitur, ecessum esse, ut, affecto
» vesicæ sphinctere, ani sphincter illico afficia-
» tur, tum propter viciniam, tum quod utrius-
» que nervuli ramuli interventu simul commu-
» nicent. »

CONSENSUS TESTIUM.

Testium sympathiam eorum sensibilitas ac teneritudo palam testantur. Hinc est quod, iis vulneratis vel inflammatis, tota patiatur œconomia animalis. Si quis vir hæmoptoe forte laboret, applicentur ejus testibus lintea aceto humectata, et mox hæmoptoen sisti admiraberis. Idem usu venit in ebrietate, quæ hoc remedio visa fuit pelli. Maximus tamen eorum cum pectore consensus, ut in capite sequenti, ubi de consensu pectoris agam, palam fiet. « Quibus
» ex testibus, inquit [1] auctor Nuclei Hippocra-
» tis semen effunditur, siccantur partes, præ-
» cipue autem vocales, propter eam communio-
» nem quæ est inter vocalia et genitalia membra.»
Item [2]; « Non in solos testes fieri possunt absces-
» sus ex vocalibus instrumentis, quanquam in
» eos sæpius, sed et in inferiores partes, ut coxam
» et crura. »

1 Cent. V. aphor. 80.
2 Cent. VI. aphor. 13.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE CONSENSU PARTIUM PECTORIS.

ORGANORUM RESPIRATIONIS NON TANTUM PASSIONUM, SED ET ACTIONUM DEMONSTRATUR CONSENSUS.

Pectus ex organis respirationi inservientibus pro maxima parte constituitur. Inter ea non passionum tantum, sed et actionum mirabilem valde et necessarium observare datur consensum; cujus causam recte dixeris officii societatem. Nisi enim organa hæc tam arcto societatis fœdere juncta essent, ut non modo ad mutuas operas, sed et inclinationes quasi erecta essent et conspirarent, fieri non posset, quin respirationis actus singulis momentis interturbaretur. Mirabilis hujus concentus meminit Willisius : « Pulmones, inquit » in respirationis actu sæpe primos esse adhuc » amplius constat, quoniam illi ab objectis ex- » traneis et improportionatis irritati, statim mo- » tus anomalos et violentos concipiunt, uti quum » tussis vehemens propter molesti cujusvis ex- » clusionem cietur, cui motui diaphragma et » thoracis musculi statim obsequuntur. Pariter

» in respiratione anhela, suspiriosa, alias inæ-
» quali, primus ejus instinctus plerumque a pul-
» monibus incipitur; quandoque tamen, quum
» exteriora respirationis organa in motus irre-
» gulares excitantur, etiam pulmones eorum
» anomaliis obtemperare coguntur; ita, quum
» diaphragma, quodammodo affectum, risum or-
» ditur, pulmones cachinno subsequente eum-
» dem perficiunt : adeo cuncta respirationis or-
» gana intime conspirant inter se ac consentiunt,
» ut, ex illis inordinate uno licet agente, potius
» quam schisma fieret, cætera illius anomalias
» imitentur. »

EXPONITUR PULMONUM CUM ALIIS RESPIRATIONIS INSTRUMENTIS CONSENSUS.

Pulmonum cum sociis respirationis instrumentis consonantiæ ac condolentiæ ratio in eo sita videtur, quod partes sociæ accipiant propagines suas nerveas ab iisdem ramis, deinde quod membrana interna qua obducuntur costæ et quam pleuram vocant, ac ea qua investiuntur pulmones (imo mediastinum) et pars interna diaphragmatis sic sint contextæ, ut una sit continuatio alterius. Demonstrari hæc possunt tum auctoritate celeberrimorum medicorum, tum experientia quotidiana. Incipiamus ab aspera arteria: ab irritatione solius laryngis vehementes nonnumquam tusses oriri, nimis sæpe experimur, si vel guttula alicujus liquoris orificium illud

subierit. Ex hausto fumo nitri, teste Ettmullero, pertinax et intensissima oritur tussis, propterea quoniam particulæ acidæ ac corrosivæ insigniter aculeatæ pungunt asperam arteriam, qua puncta, oritur tussis. Ratio, quoniam nervi ad caput laryngis et ipsa asperæ arteriæ bronchia delati oriuntur ex eo nervi intercostalis surculo, a quo ipse thorax stringitur et contrahitur. Surculo ergo isto, ut loquitur, ad asperam arteriam protracto, ex irritatione in spasmodicas contractiones acto, hæ continuantur ad musculum istum qui thoracem stringit, et sic fit thoracis constrictio et tussis. Hæc de aspera arteria.

DIAPHRAGMA CONSENTIT CUM ALIIS RESPIRATIONIS ORGANIS.

In peripneumonia non tantum pulmo sentit inflammationis noxam, sed et reliqua organa vicina trahuntur in afflictionem. « A tuberculis, » inquit Morton, aliquando obsidentibus infimos pulmonum lobulos oritur tussis continua; » ita ob membranarum continuitatem, per partium consensum, omnia organa afficiuntur. »

Ut diaphragmatis motui obsequi alia respirationis organa intelligantur, solius singultus consideratio sufficiat, cujus consonantiæ ex Ettmullero rursus juvat audire rationem : « Quia nervus, ait, intercostalis diaphragmati propagines » suas communicat, fit ut, convulso diaphragmate, in consensum quoque trahantur musculi respirationi inservientes cæteri. »

ITEM MEMBRANA PLEURA.

Quanta sit vis membranæ pleuræ in respirationis organa docet pleuritis. Ab inflammata et crispata membrana pleura mox respiratio fit difficilis, pulmones cum diaphragmate muniis suis exsequendis fiunt impares, tussi vehementi totum concutitur pectus, ex pulmonibus sputa, imo sanguis ipse eructatur. « Quum pleura, in» quit Freind [1], ita afficitur, ut in abscessum » veniat, pulmones, uti loco proximi ita et, si » fabricam spectes, tenerrimi, labem facilem » arripiunt, pleuræque adhærescunt. » Ex quibus verbis alteram docemur consensus rationem.

ORGANORUM RESPIRATIONIS CUM PARTIBUS NERVOSIS CONSENSUS.

Jam vero quanta sit organorum respirationis cum partibus omnibus nervosis et membranaceis sympathia, ex eo manifestatur, quod pro harum affectionibus respiratio plus minus lædatur. Potissimum tamen patitur respiratio, dum ramuli aliqui nervi intercostalis affecti sunt; nimirum ex eadem radice organa illa nervos suos protensos habent. Cur autem in omni nervorum intercostalium affectione respiratio præ omnibus aliis partibus, v. g. præ artuum motibus, ut plurimum lædatur, Vieussens attribuit, quod inter dorsales

1 In comment. 9. de febribus.

ipsos et intercostales nervos sympathia strictior habeatur, quam inter reliquos nervos spinales. Nervus enim intercostalis, tam dexter quam sinister, ex utroque suo latere undecim exserit ramos, quorum exteriores in nervos dorsales inseruntur; inde fit, ut in omni nervorum intercostalium spasmo respiratio, quæ partim nervorum dorsalium ministerio peragitur, magis quam artuum motus ut plurimum lædatur. Utut est, nervosis partibus affectis, iis præcipue quæ cum intercostali commercium habent, respirationem statim lædi videmus, indeque tam frequentia asthmata, tot tusses, aliosque pectoris morbos ex partibus inferioris ventris proficisci, notum est. Nempe secundum Hofmannum [1] membranaceæ vesiculæ pulmonum ipsorumque bronchia et sanguifera vasa nerveis fibrillis, veluti loris, varie circumligata videntur, ne concidentia proprium tonum seu naturalem tensionem statim amittant. Ubi autem nerveæ hujusmodi fibrillæ spasmodicis motibus corripiuntur, bronchia pulmonum, ut pote inordinate contracta, aërem debito modo non inspirant, et sanguifera vasa illorum, inordinate quoque huc illuc contracta, laticem, quem devehunt, non exonerant, asthma horrendum oboritur.

1 Not. in Poterium.

EORUM SPECIALIS CONSENSUS CUM TESTICULIS, PEDIBUS, VIISQUE URINARIIS.

Hæc sufficere possunt, ut intelligatur quam arcta sit organorum respirationis cum toto genere nervoso sympathia. Observandum tamen diligenter, eamdem sympathiam magis specialem existere erga singulares quasdam partes, puta testiculos, pedis articulos, viasque urinarias. « Inter tibias, inquit Baglivus [1], et pectus, » inter pudenda et pectus arcani quidam observantur consensus. Ulcera antiqua, cauteria, » aliaque tibiarum mala, intempestive aut imprudenter sanata, in perniciosos morbos pectoris » desinunt, ut quotidiana docet experientia. In » morbis pectoris diuretica et pediluvia utilia » sunt, purgantia contra generaliter noxia : omnes pleuriticos sanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor et exinde suppuratio supervenerunt. » Et alio loco : « Tusses diuturnæ » testium tumore solvuntur, et contra. Morbi ad » crura et pudenda solvunt asthmata, tument » pedes asthmate cessante. » Quod et adnotavit Hippocrates [2] : « A dolore forti ad testes irruente tussis sicca solvitur. Si testium inflammationi tussis superveniat, inflammatio solvetur et contra. Quum testis a tussi intumescit,

1 Prax. med.

2 Lib. 2. Epid. sect. 5.

» memoriam renovat societatis pectoris, mammarum, geniturae, et vocis [1]. Abscessus qui » per vehementes et periculosas pulmonias in » crura erumpunt, omnes quidem utiles sunt [2]. » Si habenti ulcus in una ex tibiis, sordium serosarum fluxu privetur ac purum et aridum evadat, deinde lateris et pectoris dolor e directo » tibiæ affectæ superveniat, lethale [3]. » Hydrocele discussa, supervenit hydrops pectoris, teste Meara [4]. « Concordant adhuc mammæ, inquit » Hecquetus [5], cum utero, pedes et testiculi cum » pectore adeo ut, male se habente utero, mammæ condoleant, affectisque testiculis aut refrigeratis pedibus, tusses contingant. » Peculiarem adnotavit Baglivus pectoris cum viis urinariis consensum. « Quæ juvant pectori, inquit, » juvant renibus, nam mutantur ad invicem hi » morbi, ut sæpissime me docuere nosocomia » Italiæ et praxis Romana. » « Asthmaticis, inquit etiam, dysuria superveniens bonum, cessante derepente dysuria, denuo asthmate corripiuntur : » unde magis confirmatur, remedium in morbis pectoris semper ducendum ad vias urinarias, natura id monstrante. Item : « Asthma-

1 Lib. 2. Epid. sect. 1.
2 Lib. 2. Progn.
3 Lib. 4. de morb. popul.
4 Obs. med. cap. 9.
5 De purgand. med.

» ticis si apostemata excitentur in cruribus, » forsan solvetur morbus; ideo juvant cauteria » in tibiis, conferre equidem solent in gravibus » pectoris morbis. » Maximus est consensus inter articulos et pectus, sæpe enim tussis sicca præcedit arthritidem. « Tusses, teste Hippocrate [1], quæ » lassitudinis sensum inducunt, etiam partes » læsas, sed præcipue articulos contingunt. Quin » etiam in febribus cum lassitudinis sensu tusses » siccæ fiunt, quæ, si intus relinquantur, una » cum febre in articulos firmantur. » Item [2] : « Quibus tussis nihil elidit et sicca est, ea non » nisi valido coxendicum dolore et crurum aut » testium solvitur. »

Ex quibus omnibus magnus ille consensus pectoris, tibiarum et pudendi sat superque confirmatur. Qui plura desiderat, consulat Baglivum *de morborum successionibus*.

Hactenus generaliter de pectoris seu organorum respirationi inservientium sympathia. Juvat etiam nonnulla adjungere speciatim de singulorum organorum, ut pulmonum, diaphragmatis, membranæ pleuræ cum partibus quibusdam consensu.

PULMONUM CUM PARTIBUS QUIBUSDAM SPECIALIS CONSENSUS.

Pulmonis inflammationi superveniunt coma, delirium, aliæque cerebri affectiones: hoc genus

1 Lib. 6. Epidem. sect. 7.
2 Lib. 2. Epidem. sect. 5.

consensionis cerebri pulmonariæ, familiare ex auctoritate Hippocratis asserit auctor Nuclei Hippocratis. Inter signa equidem, quibus distinguas peripneumoniam a pleuritide, non postremum est delirium, quod ordinarie illi non huic conjunctum est. Ex pulmonibus affectis genæ rubent; hinc in hominibus ad phthisim inclinantibus, et præcipue dum tubercula jam in pulmonibus efformantur, rubor ille genarum et præcipue post pastum est observabilis. « Faciei » rubor, inquit auctor Nuclei Hippocratis [1], ad » suppurationem tendentibus pleuritidibus aut » ad peripneumoniam solet fieri. »

Peculiaris etiam intercedit pulmonum cum auribus consensus, ita ut nonnumquam abscessus pulmonum ad aures derivari soleant. Non minor tamen est aliarum partium cum aure compassio, ut statim dicetur.

In inflammationibus pulmonum seu peripneumonia, ut optime adnotavit doctissimus Buyzen [2], dolores se extendunt usque ad claviculam et omoplatam, qui et nonnumquam disperguntur per totum pectus; ex quo patet quis pulmonum sit cum vicinis consensus.

Hæc sufficiant de peculiari pulmonum consensu : hi enim quum sint quasi insensibiles, non est mirum, si illatas injurias nonnumquam

1 Centur. IV. aphor. 36.

2 In prax. medica.

sine sensu perferant et aliis rarissime communicent, ut etiam a Baglivo adnotatum reperio : « Si nimium, inquit, in producenda parte aliqua » circumscriptæ fuerint fibræ nec cum vicinis » partibus multum communicantes, consensio » inter ipsas circumscripta quoque erit in tali » duntaxat viscere. » Hac forsan de causa rigores et horrores, qui futuras suppurationes prænuntiant in partibus, in pulmonibus, vel a tuberculo, vel a vomica, vel alia suppuratis de causa, aut numquam aut raro observantur, quia forsan rigoriferæ oscillationes, in pulmonibus a pure productæ, in ipsis desinunt pulmonibus nec ad extra propagantur. « Diaphragma præter naturam affectum, inquit Bausner, per consensum » afficere consuevit primo cerebrum; illo enim » inflammato, mens et sensus perturbantur phre» nesesque inducuntur. Ad quod attendentes » medici, inter deliria locum specialem concesse» runt delirio ex diaphragmate inflammato, quod » paraphrenitidem appellarunt : secundo ventri» culum etiam, ex inflammatione qua rebus mo» lestis et vellicantibus eum inficit; hic ab illis » stimulatus ad singultum sive superioris ejus » partis motum incitatur : tertio tandem labia » etiam et fauces in consensum a diaphragmate » rapiuntur, quatenus illud percussum aut ali» ter commotum faciei musculos una movet, la» biaque distorquet, propter nervos ejus cum » nervis per maxillarum musculos divaricatis

» permixtos. » Hisce proxime subjungit Bausner : « Itane vero cerebrum, ventriculus etc. » etiam a diaphragmate habent quod sibi me- » tuant? Imo, inquit, quam maxime ; utile au- » tem hæc præcognovisse est, ut inter alia, quæ » nobilissimis maximeque necessariis hisce vis- » ceribus infensa esse eaque afficere solent, ad » hæc quoque advertamus animum, inquirentes » an hæc vel aliæ mali existent causæ. Ita demum » rei bene gerendæ in medicina dabitur copia. »

ITEM MEMBRANÆ PLEURÆ.

Quæ partes potissimum membranæ pleuræ compatiantur docet pleuritis vera, quæ dependet ab inflammatione ejusdem membranæ. Simul atque inflammatio vel minimam partem pleuræ occupaverit, mox rigore et horrore corripitur æger, quos statim comitantur calor, sitis, inquietudo, et cætera febrium symptomata; dolor lateris punctorius non modo in ipso loco affecto subsistit, sed nunc versus omoplatas, nunc spinam, nunc anteriora pectoris se extendit; pulsus et præcipue manus lateris affecti durus fit, et serratilis, et nonnumquam parvus ab arteriarum tunicis constrictis ac quasi convulsis ob consensum. « In pleuritide, ait Baglivus, pulsus ex » parte lateris affecti, in quo est centrum oscilla- » tionis inflammatoriæ depressus magis observa- » tur, quam ex parte sani. » « Inflammatione

» oborta, inquit Freind, pleura irritatur ad-
» modum et constringitur, eamdemque rigidita-
» tis speciem in arterias derivat, atque hæc qui-
» dem arteriarum contractio, qua minus flexibi-
» les fiunt digitoque segnius cedunt, duritatis
» sensum efficiet. »

CORDIS CONSENSUS.

Superest in pectoris cavitate considerandum cor, totius corporis primum movens oscillumque vitæ. Cordi cum omnibus et singulis corporis nostri partibus arctum intercedere vinculum et commercium, ille solus ignorare potest, cui ignota est circulatio sanguinis, qui non novit a corde ad omnes et singulas corporis partes continuo propelli et derivari succos quibus illæ nutriantur, foveantur ac in tono suo naturali intertineantur. Prout igitur diversa est cordis propulsio, quo majori vel minori momento, quo citius vel tardius, celerius vel lentius sanguis e cordis thalamis progreditur, alio vel alio modo partes omnes affici, necesse est. Quod et Hippocrates percepisse videtur, dum pronuntiavit libro *de ossibus*, « Colorum mutationes fiunt corde strin-
» gente et laxante venas. Laxante igitur colores
» rubicundi fiunt, bene colorati et pellucidi;
» stringente vero, ex virore pallidi et lividi. »

Præter hanc generalem cordis, mediante sanguinis fluxu, consensionem, peculiariter affec-

tiones suas communicat partibus illis quæ surculos nervosos ab iisdem ramis et truncis, puta nervis paris vagi et intercostalibus, accipiunt: et, prout ostensum est in præcedentibus, cor proxime affici a visceribus abdominis, ut ventriculo, utero, aliisque in eodem ventre contentis partibus ob illam nervorum communicationem, ita prorsus tenendum est, cor affectum vicissim partibus illis mala sua transmittere.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE RELIQUARUM CORPORIS PARTIUM ET POTISSIMUM EXTERNARUM CONSENSU.

Sympathia partium ventre aliquo comprehensarum explicata, reliquum est, ut tandem de partium externarum consensu agatur.

Primo occurrit facies ac in eo considerandi oculi, nares, etc. Vultus maxime in animi pathematibus afficitur ac immutatur : nunc pallescit; nunc rubescit, aliisque variis coloribus pingitur; jam inflatur; jam contrahitur. Quod licet potissimum contingat ex eo, quod vasa minima, jam magis, jam minus sanguine distendantur, primario tamen id nervosis ac membranaceis partibus attribuendum est. Id quod etiam recte a Vieussens observatum est, qui rationem hujusce phænomeni ex nervorum distributione desumit. « Nervus uterque, inquit, octavæ con-
» jugationis ramum unum exserit, qui cum
» nervo secundi paris nervorum spinalium ner-
» veis fibris duabus intermediis unitur, suasque
» propagines musculo scaleno etc. largitur, si
» quasdam exceperis, quæ vasa cervicis ac præ-

» cipue venas jugulares varie circumligant et in » vicinas membranas inseruntur. » Jam autem quum pro variis animi conceptibus nerveæ fibræ, vasa colli circumligantes, ipsa modo magis, modo minus arcte stringunt sicque majorem vel minorem sanguinis copiam, vultui affusam, vel citius vel tardius resorbent, adeo ut, arteriis constrictis, facies ob imminutum versus superiora cruoris affluxum pallescat aut, venis quasi per vincula ligatis, rubescat; videlicet, quod in ipsá sanguis retineatur.

Prout ex animi pathematibus ratio diversæ affectionis vultus ex distributione nervorum desumitur, ita etiam ex eadem distributione videri potest quare facies maxime consonet visceribus abdomine inclusis, ut ventriculo, utero etc.

CONSENSUS OCULI CUM CEREBRO.

« Oculus, teste auctore Nuclei Hippocratis [1], » omnium maxime significare potest quo pacto » habeat totum corpus, quinetiam quomodo » habeat animus indicat. » Notabilis est equidem oculorum cum cerebro ejusque involucris consensio, quod in ophthalmia fit manifestum. « Quum membranæ oculorum, inquit Ettmul» lerus in *Praxi*, connexionem habeant cum » cerebri membranis, hinc fit, ut in gravi oph» thalmia simul capitis dolor, si non pulsatorius

1 Centur. III. aph. 25.

» tamen contractivus, percipitur. » Erysipelas faciei si etiam oculos obsederit, norunt practici quantum immineat periculi, ne idem, cerebri involucra invadens, delirium ipsamque mortem inferat. Hujus sympathiæ si quis rationem desideret, invenire eam poterit apud Vieussens [1], ubi ad nervorum quinti paris distributiones refertur.

OCULORUM INTER SE.

Oculorum inter se singularem communicationem rursum praxis docet, in qua observamus, oculo uno sauciato, alterum male etiam habere; item in unius oculi ophthalmia, præcipue graviori, alterum mox rubore et calore simul perfundi. Rationem allegat Vieussens agens de tertio pari nervorum oculorum motibus edendis dicato : « Nervi isti, inquit, licet ab invicem sepa-
» rati videantur, circa origines suas coalescunt;
» hinc fit procul dubio ut, uno oculo moto, alter
» quoque moveatur. »

CUM PARTIBUS INFERIORIBUS.

Oculorum notabilis etiam est sympathia cum partibus inferioribus et præcipue abdominis : hinc enim hystericis oculorum fulgores, pallores, hinc illis, uti et hypochondriacis, involuntariæ illacrymationes. Ad quæ intelligenda tenen-

1 Lib. 3. cap. 3.

dum est, oculum varie affici ab omnibus visceribus ad quæ nervus intercostalis pertingit, idque quia nervi ejus motorii et per scleroticam dispersi eamdem agnoscunt originem. Consuli desuper potest Vieussens variis in locis, maxime tamen ubi dicit : « Nervi quinti paris propagines, quæ » per oculum distribuuntur, involuntariis potis- » simum partium illius motibus inserviunt, qui » scilicet diversi sunt quoties cerebrum et vis- » cera, quibus intercostales nec non octavi paris » nervi prospiciunt, diversimode afficiuntur. » Idem ante eum adnotaverat Willisius : « Videtur, » inquit, quod hi nervi, e quinto pari in ocu- » lorum glandulas ac palpebras distributi, illa- » rum partium actionibus, potissimum involun- » tariis et patheticis, inserviant ; ejusmodi im- » primis sunt oculorum languidi mœrentesque » inter flendum aspectus ac invita lacrymarum » profusio; quum enim inferior quinti paris ra- » mificatio, nervus scilicet intercostalis, præcor- » diis in homine prospiciat, facile accidit, ut a » tristi horum affectione istius nervi ramis car- » diacis in spasmum actis et corrugatis etiam præ- » dicti rami ophthalmici ita correspondeant ac, » palpebras corrugando comprimendoque glan- » dulas, ejusmodi oculorum intuitus, tristitiæ » ac doloris indices, producant. » Quin et cum ipsa alvo oculorum consonantia ex hoc elucescit, quod lippientis oculi alvi profluvio superveniente sanescant, juxta aphorismum Hippocra-

tis [1] : « Ophthalmia laborantem a diarrhæa cor-
» ripi bonum. »

CONSENSUS PALPEBRARUM.

Non oculorum tantum, sed et palpebrarum cum partibus a se multum remotis communicatio non levis observatur. « Cognovi Romæ, » ait Baglivus, ægrotum palpebrarum dolorosa » excoriatione laborantem et, quoties casu pilum » aliquem earum durius tractabat, vago horrore » per totam corporis medietatem corripi ac per- » fundi solitum. » Notabile profecto exemplum summi consensus partium nervosarum inter se; cujus consensus ratio est, quod palpebrarum superficies interna plurimis gaudeat papillis nervosis; « Unde palpebræ, ait Ruyschius [2], anatomi- » corum hujus sæculi facile princeps, adeo sunt » sensibiles, ut vix possint perpeti ullum attac- » tum, aut quid heterogenei alterius naturæ. » Hanc summam sensibilitatem videtur confirmare historia, quam ex Joannis Mathæi observationibus refert Bonetus [3] : « Joannes Bekkerus, homo » sanguineus et ad iram pronus, aliquando cum » nobili puero gladio obtuso, pugilum more, » contendebat; quumque puer Bekkerum sub » oculo sinistro leviter vulnerasset, vulnere so- » lam palpebram inferiorem penetrante oculi-

1 Lib. VI. aphor. 17.
2 Thesaur. anat. 10.
3 Sepulchret. anat.

» que tunicam exteriorem parum contundente, » ille, sive ira percitus, sive dolore victus, ab» jecto gladio, humi procumbit; in lectum de» latus, nihil loquitur; post aliquot vero horas » fortissime epileptico paroxysmo correptus obiit. » Post mortem, ablato cranio examinatoque di» ligentius vulnere, nulla læsio, præterquam » quæ exterius videbatur, deprehensa fuit. »

CONSENSUS NARIUM.

De naribus ut videatur cum quibus partibus capitis potissimum consentiant, cum Vieussens licet examinare quas partes attingat et investiat membrana quam pituitariam dicunt et quæ ab utroque anteriori ossis occipitis processu, cui arctissime adhærescit, oriri videtur lateque extenditur, siquidem ea imprimis totum fere spatium illud insternit quod faucium nomine donari solet. Nam superna illius pars, internæ œsophagi tunicæ continua, quæ, ob innumera vasa quibus irrigatur, multum rubicunda semper apparet, spatium ossis vomeri et maximo ossis occipitis foramini interjectum occupat; infima vero pars, quæ magnam habet tum crassitiem tum latitudinem, posticæ utriusque ossis palati parti appenditur, columellam comprehendit, externa laryngis et pharyngis latera, membrana continua tunicæ œsophagi obducta, attingit ac deinceps, ad capitis anteriora tendendo, varias ad partes exporrigitur adeo, ut illa pa-

latum, totum os, vomerem, ossa spongiosa in superna narium parte pendula, narium ipsarum et patentium duorum meatuum, qui a naribus ad fauces tendunt, interiora obducat: imo hæcce membrana adeo late expanditur, ut variis illius productionibus sinuum duodecim, intra calvariæ baseos et maxillæ superioris ossa excavatorum, parietes insternantur. Ex quibus patet narium cum cavitatibus frontis et faucium communicationis ratio. Per eamdem etiam forte rationem fit, ut olfactui cum gustu necessitudo quædam sive stricta affinitas intercedat, quamvis Willisius velit, hujus causam in eo consistere, quod ex eodem paris quinti trunco nervi quidam ad palatum, alii autem ad nares mittantur. Idem, ubi nervorum quinti paris et intercostalis distributiones latius prosequitur, ex eadem nervorum propagatione rationem deducit miri istius consensus quem nares in sternutatione cum præcordiis habent; item quare levis illa titillatio tussim excitet: « In sternutatione, » inquit, quamprimum fibræ nervosæ, nares » oblinentes, a vellicatione corrugantur, illico » nervi intercostalis commeatu diaphragma prop- » ter inspirationem altiorem aliquamdiu depri- » mitur, deinde narium spasmo remittente etiam » septum violenter retractum ἐκπνοὴν [1] fortio- » rem cum vehementi aëris exsufflatione præ-

1 Exspirationem.

» stat; pariter econtra, quum a titillatione super » costas facta ipsum diaphragma spasmo affectum » cachinnos movet, una facies et ora in risum » pathetice configurantur. » Eodem fere modo sternutationem explicat Vieussens : « In ster» nutatione, inquit, statim atque nerveæ fibræ, » quæ in membranam narium interiora occu» pantem desinunt, vellicatæ corrugantur, illico » diaphragma, propter altiorem inspirationem a » spiritu animali per nervos intercostales devecto » excitatam, deprimitur et subinde membranæ » narium spasmo remittente septum transver» sum, superiora versus vehementer retractum, » violentam exspirationem excitat. »

Peculiaris etiam narium observatur sympathia cum intestinis. Accidit enim quibusdam, ut a tabaci pulvere naribus indito statim excitetur stimulus ad alvum exonerandam ; quod etiam a Baglivo adnotatum reperio : « Multi, in» quit, sibi ventrem quandoque lubricant usu » tabaci vel ore in fumi formam sucti, vel tracti, » ut moris est, per nares, communicatis nempe » oscillationibus ab ore et naribus, tabaco irrita» tis, ad intestina. »

CONSENSUS AURIUM CUM CEREBRO.

Ad aures progredimur : earum magnum consensum observavit Baglivus : « Ipsa tympani au» ris, inquit, membrana, ut nuper detectum » est, ex interna sui parte dura vestitur me-

» ninge, parte vero externa, propagatione cutis » membranacea meatus auditorii et ob id dolores » aurium inflammationesque ex interna parte » crudeles esse solent, horrendi, atque lethales; » si vehementes fuerint, unius diei spatio interi- » munt ac jugulant, tracto statim in consensum » cerebro per dictam meningis in auribus propa- » gationem. » Et alio loco, « Bombilus fit ad mo- » dum apium murmurantium; oritur ab exsolu- » tione partis cerebri, unde manat vis audiendi, » ideo lethalis, teste Hippocrate et Dureto. » Quod confirmat auctor Nuclei Hippocratis : « Per dolores aurium vehementes multi interi- » muntur, in consensum perducto cerebro; natu » minores septima die aut citius, natu vero ma- » jores multo tardius. » Ex ictu capitis susurri in praxi sunt frequentiores.

CUM FAUCIBUS ET PECTORE.

Peculiaris aurium deprehenditur consensus cum faucibus et pectore. Auribus irritatis, sequitur tussis; hinc petere licet rationem cur dolor auribus superveniens in angina aut pleuritide bonum. In angina equidem, non solum a me sed et practicis aliis, adnotatum est, dolorem aurium supervenientem signum ordinarium esse instantis dissolutionis anginæ. « Omnes pleuriticos sanatos vidimus, ait Baglivus, quibus in » interiora auris dolor et exinde suppuratio su- » pervenerunt. » Quod et confirmat Furstenau :

« Quid? inquit, quod nonnumquam abscessus » pulmonum ad aures derivari soleant. » « Quærunt anatomici, inquit Ettmullerus in *sua* » *Praxi*, unde fiat ut, auriculæ membrana in» teriore vexata stylo, oriatur tussis inanis? Et » recte dicitur consensum esse propter irritatio» nem et convulsionem plexus nervei auditorii » cum nervis intercostalibus, vel per plexum de» rivatum ad asperam arteriam; ex qua irrita» tione nervi auditorii irritatur nervus ad aspe» ram arteriam pertingens, et sic fit tussis inanis, » vellicata auricula interna. » Pulchre hanc aurium cum faucibus sympathiam delineavit Nicolaus Pechlinus singulari observatione [1] : « Co» gnitum est anatomicis, inquit, habere aurium » interiora commercium quoddam cum oris cavi» tate, et esse tubulum quemdam cartilagineum, » qui admissum ore sonum excipiat inque aurem » deducat; neque sonum duntaxat, sed et quæ» vis alia, modo aëris utantur vehiculo. Inter fu» mantium ludibria semel iterumque a me vi» sum, quod conceptus ore tabaci nidor mira » haurientis dexteritate auribus redderetur. » Verum latius hoc contagium serpit; et aurium quoque sensus plurimum cum faucium et gulæ isthmo habet commune. Quæ tympano, subtili membranæ, accidunt, in fauces sæpe et gulam atque annexa utrisque viscera descendunt ma-

1 Obs. physico-medic. 45.

gnosque concitant et convulsivos impetus. Præcipuum olim vidi belli ducem, cui auris internæ aut membranæ tympani sensus tam acutus erat, ut vel leve ejus irritamentum stomachum subverteret magnosque excitaret vomitus, neque alio hic conatu quam digiti contractione opus erat. Minus peregrinum est vellicata tympani membrana tussim produci, transmissa protinus in epiglottidis et tracheæ membranam nerveam tremula vibratione et hinc concussis pulmonibus. Mihi sane quam familiare est, distillante in fauces catharro, aures quoque prurigine corripi et jamjam adfuturam tussim indicari. Adeo etiam catharros ac raucedinem a sola aurium nudatione, quas pileus nocturnus deserere solet, contrahi non est infrequens.

CUM LINGUA.

Singulare item intercedit auribus cum lingua commercium. « Mirum non est, inquit Vieus-
» sens, quod inter aurem et linguam sympathia
» quædam habeatur propter quam auditus gus-
» tui lenocinetur; a nervo auditorio ad linguam
» accedit ramulus. »

CUM DENTIBUS.

A dentibus aures, teste auctore Nuclei Hippocratis, et ab auribus ad dentes crebra permutatio et facile compassio observatur propter communes nervos. Quod confirmat experientia prac-

tica Zwingeri [1] : « Hoc certum est, ait, quod si » oleum amygdalarum amararum cum spiritu » aliquo permixtum atque gossypii frustulum » huic et immersum tepidiuscule auri indatur, » subinde odontalgiam imminuat atque deglu- » tiendi difficultatem, ob dolorem aurium con- » tingentes, corrigat. »

CUM PARTIBUS QUIBUSVIS CORPORIS.

Qui plura desiderat de consensu aurium cum faucibus, pectore et aliis partibus istiusque consensus ratione, legat Hildani observationem chirurgicam quartam, in qua enarrat symptomata producta a globulo vitreo instar pisi insinuato in concavum auris sinistræ puellæ decem annorum. Globulum hunc quum incassum eximere tentassent chirurgi, varia passa est puella; sedatus quidem post aliquem temporis tractum fuit nonnihil dolor, sed tota illa pars capitis usque ad suturam rectam noctu diuque doluit, plus tamen minusve pro aëris constitutione; cœlo maxime humido ac pluvioso, quale est hyeme et autumno, cruciatus urgebant; accedebant præterea lævo brachio quasi stupores, usque ad digitos, pollicem et indicem, progredientes ad lumbos usque, tibiam et pedem; et, ut paucis dicam, totum latus sinistrum continuis iis quasi stuporibus languebat. Transmutati sunt postea torpores in dolores gravissimos bra-

1 In dissert. de amygdal. fr.

chii, humeri et cruris, idque, ut dictum est, noctu et aëre frigido et humido. Tussicula sicca assiduo aderat; menstrua ex parte supprimebantur et non, nisi semel singulis trimestribus, aut parum fluebant. Quum annis quatuor aut quinque sic doleret, acciderunt interdum epilepticæ convulsiones; ipsum quoque brachium in atrophiam incidit. Videns mater tam dira symptomata, varios adhibuit medicos, chirurgos, et empyricos et, quum nullus auris dolor adesset, quippe maximi dolores obscurabant minimum, de symptomatis tantum querebatur, omissa primaria morbi causa (animadvertite hic quæso veritatem eorum quæ in capite primo a nobis dicta sunt, nempe sæpe alio in loco symptomata apparere quam ubi causa lateat et, omissa causa primaria, morbi incassum curam tentari); hanc ob rem symptomata omnia non cessarunt, nisi postquam ab Hildano globulus ille feliciter fuerit extractus. Quo facto, cessarunt, ut dicit, illico dolores capitis reliquarumque partium corporis, et subsequente nocte meliuscule habuit; sicque paulatim leni inunctione olei lumbricorum restituta fuit. « Cessarunt, ait, dolores, » stupores, convulsiones epilepticæ, reliquaque » omnia symptomata, restitutum est quoque bra- » chium, ita ut hactenus Dei beneficio bene se » habeat. » Hujus ille rationem rei, etiam eo tempore quo neurologia minus erat exculta, ex nervorum distributione deducit; sed idem nitidius

præstitit Vieussens, cujus propterea verba insero : « Ex eo, quod pars mollior nervi auditorii » coalescat cum radicibus nervi paris vagi, fit, » ut tanta inter aurem et viscera, quibus par » vagum prospicit, sympathia habeatur, ut pro » diversis soni rationibus non modo in cerebro, » sed et præcordiis, imo et sæpissime in universo » corpore, diversi motus producantur, moxque » diversæ in anima, ex occasione scilicet hujus» modi motuum, perceptiones excitentur. »

Superest, denique aurium cum alvo peculiaris sympathia : « Surditas, ait Baglivus, alvum sis» tit, et alvi profluvium surditatem tollit, » secundum aphorismum Hippocratis [1] : « Quibus » biliosæ sunt dejectiones, hæ, surditate super» veniente, cessant; et quibus surditas adest, » his, exortis biliosis dejectionibus, finitur. »

CONSENSUS DENTIUM.

Dentes, propterea quod in superiori sui parte sine sensu uri et secari possint, visi sunt aliquibus insensibiles : contrarium tamen docet odontalgia, dolor scilicet eorum acerbissimus. In quo dolore pars affecta est periostium seu membrana investiens dentium intima ab expansione nervorum dentes perreptantium orta, cui addi possunt fibræ eorumdem nervorum hinc inde per dentium porulos et meatus disseminatorum. Vi-

1 Lib. IV. aphor. 28.

dentur autem dentes alias corporis nostri partes afficere et in consensum sui rapere fere duplici modo : vel enim dentes, mediantibus nervis suis affectis, mala sua aliis communicant partibus ; vel partes sensibiles vicinas irritando, vellicando, pungendo non modo doloris sensum in iis, sed et vicinis, quinimo dissitis, excitant.

Ut intelligamus quænam partes priori modo a dentibus potissimum patiantur, juvabit considerare nervos qui dentes penetrant. Qua in re rursus consulendus est Vieussens nervorum exactissimus prosecutor. « Secunda, inquit, ac » media propago nervi quintæ conjugationis » uno emisso surculo, cujus fibræ partim in » glandulas maxillares et partim in binos linguæ » musculos, styloglossum scilicet et myloglos- » sum, inseruntur, sinum intra os mandibulæ » inferioris excavatum ingreditur, ubi plures » exserit fibrillas quæ dentium radices penetrant » ita, ut nerveæ ejusmodi fibrillæ, arteriolis ab » arteria carotide productis et venulis in venam » jugularem internam desinentibus comitatæ, » per foramina fere insensilia, dentium radicibus » incisa, exiguos sinus intra dentes ipsos excava- » tos subeant et inibi, quemadmodum in exiguis » finibus dentium maxillæ superioris una cum » membranis vasorum ipsas concomitantium, ita » explicentur, ut in membranam abeant, quæ » oblongæ vesiculæ figuram refert, et in vehe- » mentibus dentium doloribus afficitur. » Ex qui-

bus patet, non tam ipsos dentes dolere quam nervosas eorum partes et intimas. « Hunc dolorem, » ait Ettmullerus *in sua Praxi*, vicinarum partium » et fibrarum nervearum crispationes et leves » contracturæ propter consensum continuitatis » insequuntur. Unde, quousque hæc fibrarum » crispatio dolorifica continuatur, iste dolor se » extendere videtur et, dum ab ista contractura » fibrillarum angustantur poruli aut meatus per » quos sanguis aut alii humores meando circu- » lantur, nunc sanguis, nunc vero lympha in » motu impedita stagnat, unde dolori isti dentium » supervenit tandem aut inflammatio maxillæ » aut etiam tumor serosus aut œdematosus. » Primum igitur et maxime obvium symptoma, ob consensum dentium contingens, est tumor et inflammatio malæ, quoniam fibræ nervosæ et musculosæ hæ vicinæ, a dolore per consensum affectæ, se crispant et quasi levi spasmo se contrahunt; qua crispatura venæ capillares coarctatæ liberum sanguinis transitum denegant, unde tumor ille etc. Si crispaturæ illæ dolorificæ ulterius propagentur, etiam in partibus remotioribus symptomata observantur : « Hinc, teste » Bausner, solet quandoque dolor dentium se- » cundum gingivas in latitudinem excurrere, et » ad aures etiam pertingere, imo auditus mem- » brana, ex acuto dentium stridore quasi icta, » offenditur, unde contrahitur repente. Oculi ipsi » immunes non sunt : ab his enim portio nervi

» motorii ad dentes caninos excurrit eoque pro-
» fundius implantatur, unde ex eorum sympto-
» matibus mala ad oculum sæpe intumescit et
» eorum palpebræ nonnihil palpitare putantur.»

Quinimo hemicraniæ per consensum causa subinde est dens cariosus, teste Hildano [1]. Refert Bonetus [2], a resecto dente prominulo convulsiones et mortem inductam ob nervum insertum simul abscissum in segmine conspicuum. Historia desumpta est ex Gaspari Bartholini *Institutione anatomica* : « Monialis quædam Patavii
» dentem, quem habebat præ aliis longissimum,
» quum ad deformitatem vitandam secari curas-
» set, statim convulsa et epileptica concidit; in
» parte autem dentis absecta nervi vestigium ap-
» parebat. »

CONSENSUS GINGIVARUM.

Venio nunc ad alterum modum quo dentes alias partes afficiunt. Hujus consensus nusquam manifestiora exempla observantur, quam in eruptione dentium in infantibus. « Ad dentitio-
» nem accedentibus, ait Hippocrates [3], gingiva-
» rum prurigines, febres, convulsiones, alvi
» profluvia, et maxime ubi caninos dentes emit-
» tere cœperint, tum crassissimis pueris, tum
» his qui alvos duras habent. » Aphorismus hic

1 Cent. II. obs. 10.
2 Sepulchreto anat.
3 Lib. III. aph. 25.

verissimus est ut pote constanti Hippocratis observationi innixus et in promptu est ratio : nimirum ubi dentes ex infantis alveolis emergere cum sufficiente soliditate incipiunt, haud parum gingivarum substantiam, dentium explicationi resistentem, proritant et turbant donec, disruptis fibrillis, sibi fores pandant : hi autem motus insoliti non possunt non vicinis continuatisque sibi partibus similes prioribus turbines excitare. Inter ea autem quæ inducuntur symptomata hæc sunt frequentiora : febres, convulsiones et alvi profluvia, nempe non inducta, ut quidam volunt, ab humoribus peccantibus, sed tantum a solido irritato et stimulato et per consensum affecto. Id quod a Baglivo egregie observatum est dum ait : « Erumpentibus dentibus in pueris » lactentibus gravia succedunt accidentia vitio » solidi tantummodo; solidi nempe gingivarum » irritati, puncti, crispatique, a quibus ad in» testina oscillatione producta, graves oriuntur » diarrhoeæ, quæ si non venerint, pejora ve» niunt mala, febris, vigiliæ, vomitus etc. » Profecto mirandum est quam horrendis concutiantur motibus spasmodicis sæpe tenella illa corpuscula a sola dentis erumpentis irritatione. Unde Cælius Aurelianus, solus e methodicis nobis superstes, ait, « Epilepsia frequens est in pueris, » et magis tempore quo dentium nativitates ha» bentur. » In quibus symptomatibus hoc equidem observatu dignum est et non parum con-

sensum partium confirmat et illustrat, quod, oborto alvi fluxu, febres et convulsiones accidant rarius, et e contrario frequentiores sint, si alvus obstructa sit. Quod testatur Hippocrates : « Qui-» bus in eruptione dentium alvus crebrius fluit, » raro convulsionibus tentantur [1]. » Hæc autem unde contingunt? Certe non ex humoribus peccantibus, quos in sanissimis non reperias, sed potius ex oscillationibus versus intestina vergentibus.

CONSENSUS PARTIUM ORE COMPREHENSARUM.

De consensu partium ore contentarum etiam est quod adnotetur; atque imprimis, consensum earum existere non solum propter vicinitatem, sed vel maxime quod eadem communi membrana investiantur. Refert Fabricius [2], juveni cuidam, quum inter cœnandum ossiculum in gula remansisset, totum collum undique durum, tensum et supra modum usque ad pectus intumuisse cum dolore maximo, respiratione difficili, pulsu celeri ac debili, et deglutitione læsa; unde nono morbi die mortuus est. Post obitum inciso collo, œsophagus cum vicinis partibus, et eo præcipue loco ubi ossiculum infixum fuerat, plane sphacelo correptus cum maximo fœtore inventus est. Sennertus scribit : « Si deglutitio læ-

1 Hippoc. de dentitione.
2 Cent. V. observ. 35.

» datur a convulsione, os teneri clausum, dolo-
» rem vero mammas et vicinas partes infestare.»

In praxi aliquoties observavimus, in laborantibus tumore faucium, seu angina spuria, dolorem aurium supervenientem esse indicium instantis dissolutionis. Novimus item quemdam, cui ab angina surditas aurium remansit. Porro quum successiones morborum signa sint manifesta consensionis partium, rursus confirmatur sympathia, quæ inter aures et fauces paulo ante a nobis fuit stabilita.

Partes etiam faucium consentiunt cum ventriculo et thorace. Patet de ventriculo vel ex eo, quod ab irritatione faucium suboriatur vomitus : de pectore vero probatur, quod a linctu videamus pectoris asperitates diminui, phlegmata facilius educi; item quod ab ipso frigido fauces infestante et pulmones afficiantur : « Quia tu-
» nica, inquit Hollerius [1], communis est mem-
» branis cerebri et thoracis, ideo, ubi frigiditas
» contrahitur in faucibus, facile communicatur
» et cerebro et thoraci. »

Denique fauces consentiunt cum variis partibus inferioribus et potissimum cum iis quæ ab octavo pari nervos accipiunt. « Nam, teste Vieus-
» sens, nervi recurrentes a paris vagi plexu gan-
» glioformi thoracico, emergentes œsophago, as-
» peræ arteriæ et propriis laryngis musculis im-

1 In aphor. Hipp.

» pertiuntur propagines suas, et hinc sympathia » quæ inter œsophagum, tracheam, laryngem, » et partes alias reperitur, quibus nervorum par » octavum prospicit.

CONSENSUS CUTIS.

Superest consensus cutis, seu integumentorum totius corporis, elucidandus. « Mirabilis, » inquit Ettmullerus [1], est membranarum uni» versi corporis inter se, speciatim cutis cum » omnibus suis partibus consensus, continuatam » quatenus constituit telam; unde, una ejus ex» tremitate affecta, sensibilius et reliquam tex» turam simul idem quasi sentire et pati, obser» vamus... » Plantarum præsertim pedum mirus cum universo systemate nervoso et partibus membranaceis quibusvis notatur consensus, dum pavimento frigido inambulantibus aut alvum laxari, aut intestina torqueri contingit. Caput etiam cum imis his partibus conspirat; unde et illarum noxam caput sui dolore quasi lugere videtur, quum pediluvia hujus dolorem leniant et suavi somno temperent. Quandoquidem cutis cum integumentis generalibus constituat unam eamdemque telam seu membranam, fit facile, ut aliqua ejus pars affecta sensum suum cum quavis alia cutis parte communicet, imo non tantum cum parte cutis, sed etiam cum parte

1 Dissert. de vi opii diaphoret.

interiore correspondente. Hoc posito, superfluum esset hic examinare quamcumque cutis partem: ad rem nostram suffecerit, si partis alicujus, extremæ v. g. manus vel plantæ pedis, consensionem cum reliquis omnibus demonstremus.

In machina nostra conspiratio et consensio est summa. Id quod imprimis ostendit optimus effectus quem edunt balnea et pediluvia in deliriis. Quum enim delirium ordinarie, pluribus id probante Baglivo, ab inflammatoria irritatione, crispatura et contractione duræ matris procedat, « Nihil tollendo ei magis aptum magisque utile, » inquit, deprehendi quam, emisso, si opus fuerit, sanguine ex salvatella aut pedibus, balnea » tepida, emollientia ventri, pedibus, et palmis » adhibere. Laxatis enim productisque fibris in » partibus madefactis, ex mechanica necessitate » consensus et legum impulsus, laxari oportet » atque leniri producique fibras interiores contractas, crispatas, et quasi inflammatas, ita ut » liber pateat transitus fluidis, proindeque minuatur delirium. Hanc fomentorum utilitatem » sum in me expertus, quum Bononiæ gravissime acuta febre morboque capitis cum delirio » ægrotarem. » Idem alio loco explicat, dum ait: « Ab effectibus experimur, quod delirium a fortissimo duræ matris elatere producatur, quia » nullo remedio vidimus illud sedari citius, quam » fomento aquæ tepidæ pedibus, ventri et volis » manuum per spongias facto. Qua ratione re-

» laxatis dictarum partium fibris, jure consen-
» sionis relaxantur quoque crispatæ et nimium
» intentæ duræ matris fibræ sicque minuitur de-
» lirium, quod usu vesicantium et internorum
» remediorum sæpe exacerbatur et augetur. »
Illud equidem testari possum, me in praxi, in cephalalgiis etiam obstinatis, summe proficuum fomentorum calidorum, pedibus applicatorum, usum deprehendisse.

Non minor est plantarum pedis cum abdomine consensus; si quis nudis pedibus super marmoreum ambulet pavimentum, statim ventris doloribus torquebitur, adnotante Baglivo. Qui dolores ventris, eodem observante Baglivo, a deambulatione nudis pedibus super frigidum pavimentum facta lateribus calidis, plantis pedum appositis, statim sanantur; crescente namque calore in pedibus, minuitur sensim dolor in ventre. Et alibi ait : « Frigus pedum mor-
» bos ventris, colicas, et hisce similia producit;
» ut sæpe observavi. Bonum est ad longam vitam
» et ad salubriter vivendum vitare frigus et hu-
» miditatem in plantis pedum; inter has et me-
» senterium maximus est consensus, maximus
» quoque inter easdem et caput : frigus pedum
» in colicam desinit, ut sæpe vidi etc. » Confirmat hæc sua dicta Baglivus observatione practica.
« Quum sculptor quidam sexagenarius magnum
» sculpens marmor pro ingenti statua diutissime
» gelido super saxo stetisset, quia raram ac de-

» licatam fibrarum texturam obtinebat, dolori-
» bus colicis gravissime cœpit torqueri. Neglec-
» tus ab eo morbus mox adeo crevit, ut, dissoluta
» ac perdita naturali œconomia, ob fortissimam
» crispaturam a saxi frigore et per plantas pe-
» dum in mesenterio contractam, inappetentia
» supervenerit nec non vigiliæ, febris, ac de-
» mum macies pene hectica cum vultus palore.
» Improprio remediorum usu, lactis nempe, cha-
» lybis etc. ruebat in deterius. Quare nos, his
» omnibus rite consideratis, indicavimus mor-
» bum originem habuisse a marmoris frigore
» per plantas pedum ad mesenterium usque pro-
» pagato, ubi magna producta crispatura gra-
» vissimis occasionem dedit accidentibus. Qui-
» bus ut mederemur, semicupia aquæ tepidæ
» per totum ventrem singulo mane, vespere
» ante cœnam balnea aquæ calidæ pedibus præ-
» scripsimus; alternis diebus clysterem emol-
» lientem, aquam Chinæ pro potu, conditum
» stomachicum cum jusculo citrato et cichoreato
» singulo mane. Per hæc remedia inducta debita
» ac naturali laxitate in solidis mesenterii, a pe-
» dum frigore nimium crispatis, eductaque per
» lenes purgationes putri cacochylia, ob dictas
» crispaturas ibidem diu impacta concretaque,
» brevi ac feliciter convaluit. » Plantarum pe-
dum cum toto systemate nervoso et membrana-
ceis partibus consensus ex hoc solo patere potest:
si sub sudorum effluviis manus vel pedes nuden-

tur, statim imminuitur vel supprimitur sudor, prout rarioris vel densioris texturæ fuerit patiens; quique difficile sudant, apposito plantis pedum latere calefacto, mirifice sudor illis promovetur : signa manifestissima, consensus partium dependere ab oscillatione fibrarum communicata mutuo. A Frigore pedum alvus obstinatior solvitur. « Piscator, inquit Galenus [1], quum solo » frigido diu piscans desedisset, in involuntariam » fæcum et urinæ excretionem incidit; fomentorum calidorum usu sanatus est. » Propter hujus consensus notitiam practici fortassis aliqui alvum duram norunt solvere balneis pedum, vel etiam deambulatione super frigidum. « Nota est, » inquit Langius, observatio ex Brassavolo [2]; » triduana nempe alvi stipticitate laboranti Duci » Ferrariæ suasisse M. Savanarolum, ut nudis » pedibus supra pavimentum alabastrinum aqua » frigida prius conspersum incederet, tam felici » effectu, ut nondum quinquaginta passus pro» gresso Principi alvus sit soluta. » Nec alia ratio est quod stragula quis dormiens commingat inscius, si ejus manus frigida submergatur aqua. Consensus igitur cutis cum renibus aut potius vesica evidenter apparet ex eo, quod plerique ex immissione vel lotione pedum aut manuum in frigidam, teste Blancardo, sentiant stimulum

1 De loco affecto. 44.
2 Cap. 9. tractat. de purgantibus.

mingendi. Eadem ratione potest probari consensus partium exteriorum cum utero in actu fluxus menstrui; si frigida mergantur pedes, vel hauriat frigidæ cyathos mulier, aut pedes refrigerentur, menstruatio confestim intercipitur.

Satis superque jam demonstrato cutis et partium externarum cum internis consensu, superest rationem ejusdem adducamus. Partes exteriores ab interno vitio affici et internas vicissim ab exterioribus, mirum videri non debet; quandoquidem nervi intercostales cum nervis omnibus spinalibus communicent, et medii et infimi ventris partibus propagines suas communicent; unde constituitur insignis illa sympathia inter partes externas et internas, prout etiam mens est Vieussens : « Nervi, inquit, intercostalis propa-
» gines usque ad ipsos pedes exporriguntur,
» quatenus nervis cruralibus posticis unam
» utrimque propaginem largiuntur, quæ una
» cum ipsis in pedibus desinit. Quin imo ramus
» nervi intercostalis nervo dextro primi paris
» nervorum ossis sacri coalescit, et una cum illo
» in dextrum nervum cruralem posticum desi-
» nit; proindeque magnus inter pedem dextrum
» et reliquas tum internas, tum externas corpo-
» ris partes consensus habetur. » Idem contingit nervo intercostali sinistro, prout apud eumdem auctorem videri potest.

FINIS.

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

Pag.
Editoris præfatio v
De vita et scriptis auctoris. xviii
Auctoris præfatio xxix

CAPUT PRIMUM,

IN QUO PROPONITUR MATERIA HUJUS DISSERTATIONIS VICE PROOEMII.

Consensus est duplex. 1
Consensus actionum. 2
Consensus passionum. 3
De hoc potissimum hic agitur. . . . . ib.
Hujus dissertationis summarium. 5
Præcipuum fundamentum experientia practica. . . . ib.
Scopus est morbi causam detegere. 7
Quia causa remediis oppugnanda est. 8
Quia ignoratio causæ occasio est perversæ praxeos. . 10
Quia pars affecta primario curanda est. 12
An, neglecta causa primaria, nonnumquam symptomata primo curanda sint. 13
Hæc dissertatio cur in lucem edita sit. 17
Hujus dissertationis methodus. 18

CAPUT SECUNDUM.

DE CONSENSU PARTIUM GENERATIM.

Pag.

Sympathia generalis probatur auctoritate Hippocratis. 21
Celsi. 24
Pythagoræ. . . . . ib.
Galeni. . . . . ib.
Idem probatur experimentis tam medicis quam chirurgicis. 25

CAPUT TERTIUM.

DE ORIGINE, CAUSA, AC MODO CONSENSUS PARTIUM.

De causa consensus quid sentiant auctores. 31
Fit per vicinitatem partium vel nervorum communem originem aut communicationem. 32
De nervorum origine. 33
Sententia scriptoris fit potissimum per continuationem membranarum. 35
Oscillationum propagationes. 37
Idem ostenditur aliorum auctoritate. 39
Qua ratione per oscillationes fiant consensus. . . . 40
Auctoris sententiæ confirmatio. 46

CAPUT QUARTUM.

DE CAPITIS CUM OMNIBUS ET SINGULIS CORPORIS PARTIBUS CONSENSU.

Ratio consensus capitis. 50
Fit consensus mediantibus meningibus. . . . . ib.
Duræ matris punctura eum palam facit. 53
Quid inde commodi praxi resultet. 54
Symptomata supervenientia, capite læso. 56
Capitis sympathia cum ventriculo. 58

Pag.
Cum oculis. 59
Cum auribus. 60
Cum lingua. 61
Cum hepate. 62
Cum artubus. 63

CAPUT QUINTUM.

DE VENTRICULI GENERALI CONSENSU CUM OMNIBUS MACHINÆ HUMANÆ PARTIBUS.

Ab actione venenorum stomachi consensus elucidatur. 68
Vertiginis ex venenis subortæ ratio. 73
Ratio singultus 74
Ratio convulsionum. . . . . ib.
Ratio spumæ oris. 75
Ratio urinæ excretionis. 76
Ratio syncopes et respirationis interceptæ. . . . . . ib.
Ac mortis subsequentis ratio. 77
Unde sanguinis a venenis coagulum. 78
Venenorum actio probatur auctoritate plurimorum illustrium medicorum. 79
Qua ratione venena possint esse magna remedia. . . 81
Quare ita fuse hic de venenis. 84
Magnæ sensibilitatis ventriculi testimonia. 85
Probatur consensus exemplis practicis. 87
Confirmatur methodo curandi morbos infantiles. . . ib.

CAPUT SEXTUM.

PROSECUTIO CAPITIS PRÆCEDENTIS : UNDE TANTUS VENTRICULI CONSENSUS SIT DERIVANDUS. ADMONITIONES QUÆDAM AC CAUTELÆ PRACTICÆ.

Unde tantus ventriculi consensus. 96
Admonitiones practicæ. 98

CAPUT SEPTIMUM.

DE VENTRICULI CUM CAPITE CONSENSU.

Pag.
Delirium ex ventriculo. 102
Vertigo. 103
Affectus soporosi. 106
Notæ quibus caput deprehenditur per consensum laborare. 108
Notæ ex ventriculo. . . . . ib.
Ratio consensus. 110
Ventriculi consensus cum facie. 111

CAPUT OCTAVUM.

DE CONSENSU VENTRICULI CUM LINGUA, FAUCIBUS, PARTIBUSQUE ALIIS PALATINIS.

Cum lingua. 117

CAPUT NONUM.

DE STOMACHI CONSENSU CUM PECTORE.

Ratio consensus ventriculi cum diaphragmate. . . . 121
Quomodo ex stomacho suboriatur singultus. 122
Ex stomacho tussis. 123
Asthma ac aliæ respirationum difficilium species. . . 126
Incubus. 128
Pleuritis. 129
Ex ventriculo cordis affectiones. 135

CAPUT DECIMUM.

DE VENTRICULI CONSENSU CUM QUIBUSVIS PARTIBUS ABDOMINE INCLUSIS.

Rationes hujus consensus. 139
Consensus ventriculi cum visceribus abdominis, imprimis liene. 140
Cum hepate. 142

Pag.
Cum intestinis. 144
Cum renibus. 147
Cum utero. 148

CAPUT UNDECIMUM.

DE VENTRICULI CONSENSU CUM PARTIBUS EXTERNIS CORPORIS, CUTE, ARTICULIS, ETC.

Ratio hujus sympathiæ. 155

CAPUT DUODECIMUM.

PRÆMISSA GENERALI FEBRIUM IDEA, OSTENDITUR, EARUM FOMITEM IN VENTRICULO SÆPIUS HÆRERE.

Rejiciuntur ordinariæ definitiones. 156
Substituitur historica descriptio. 157
Frequentiæ pulsus causa proponitur. 158
Duplex species febris, respondens duplici stimulorum operationi. 159
Febris subjectum sunt partes solidæ. 160
Subjectum proximum non est sanguis. . . . . ib.
Sanguinis sæpe subest vitium. 162
Quæritur ubi stimulus, febris productor, lateat. . . . 163
Ostenditur, eum ordinarie in ventriculo nidulari. . . ib.
Describitur febris ex inflammatione ventriculi producta. 169
Quomodo sit curanda febris ex ventriculo producta ostenditur. 170
Præcedentium uberior confirmatio. 173

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

PROSECUTIO DE FEBRIUM INTERMITTENTIUM NATURA, QUARUM ETIAM FOMITEM IN VENTRICULO HÆRERE, DEMONSTRATUR.

Febrium intermittentium historica descriptio. . . . 181
Causa proxima. . . . . ib.
Probantur ea ex consideratione decursus paroxysmi febrilis, imprimis initii et incrementi. 182

Pag.
Unde frigori succedat calor. 184
Unde sudor. . . . . ib.
Secundum temporum diversitatem diversa etiam est habenda paroxysmi febrilis idea. 185
Periodorum examen . . . . ib.
Male eorum ratio a fermento aliquo deducitur. . . . 186
Ratio tum a generatione materiæ cujusdam febrilis, tum a certa dispositione partium solidarum petenda est . . . . ib.
Locus generationis materiæ istius febrilis. 187
Multum deberi partibus solidis, ostenditur. 189
Ostenditur communi medicorum omnium opinione, focum intermittentium esse ventriculum. 190
Idem confirmant symptomata. 191
Idem ex remediis et cura probatur. 193
Alia proponuntur antifebrilia. 195
Hectica febris ex ventriculo. 196

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

OSTENDITUR EX PRIORIBUS CAPITIBUS RECTE DEDUCI POSSE, PLERORUMQUE MORBORUM ORIGINEM A STOMACHO ESSE REPETENDAM, MEDICAMENTORUM IN EUMDEM PRÆCIPUAM ACTIONEM ESSE, AC PROINDE IN PRAXI PRÆCIPUE AD EUM ATTENDENDUM.

Tres sunt causæ morborum frequentiores. 200
Assumpta sunt prima morborum causa. 201
Ab iis maxime stomachus afficitur. . . . . ib.
Secunda causa sunt animi passiones quarum potissimum effectus in stomacho percipiuntur. 202
Ab aëre denique stomachus præcipue afficitur. . . . 205
Demonstratur, omnium pene medicamentorum esse actionem in stomachum. 207
Proponitur hic difficultas aliqua. 212

Pag.
Ad ventriculum in praxi præcipue attendendum. . . 214
Alteri objectioni respondetur. 215
Admonitio, ut cauti sint in præscribendis activioribus remediis. . . . . ib.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE INSIGNI CONSENSU UTERI.

Uteri generalis consensus proponitur. 217
Uteri cum capite consensus. 220
Ex utero convulsio. 221
Uteri cum oculis et facie consensus. 222
Cum pectore. 224
Cum stomacho. 226
Cum mesenterio. 228
Cum hepate. 229
Cum intestinis. 230
Cum lumbis. . . . . ib.
Cum partibus subcutaneis. 231

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE CONSENSU ALIORUM VISCERUM ABDOMINIS, INTESTINORUM, HEPATIS, LIENIS, MESENTERII, RENUM, VESICÆ.

Intestinorum inter se consensus. 233
Sympathia intestinorum cum aliis partibus. 234
Intestinorum cum hepate sympathia. 235
Cum viis urinariis. . . . . ib.
Cum toto genere nervoso. 236
Ratio hujus consensus. 237
Intestinorum cum partibus subcutaneis consensus. . 238
De hepatis consensu. 239
Consensus lienis. 241
Mesenterii consensus. 243

Pag.
Viarum urinariarum consensus. 244
Imprimis renum cum capite. . . . . ib.
Cum pectore. 245
Cum partibus abdominis. 247
Cum lumbis. 249
Consensus renum inter se. 250
Vesicæ consensus. 253
Consensus testium. 255

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE CONSENSU PARTIUM PECTORIS.

Organorum respirationis non tantum passionum, sed et actionum demonstratur consensus. 256
Exponitur pulmonum cum aliis respirationis instrumentis consensus. 257
Diaphragma consentit cum aliis respirationis organis. 258
Item membrana pleura. 259
Organorum respirationis cum partibus nervosis consensus. . . . . ib.
Eorum specialis consensus cum testiculis, pedibus, viisque urinariis. 261
Pulmonum cum partibus quibusdam specialis consensus. 263
Item membranæ pleuræ. 266
Cordis consensus. 267

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE RELIQUARUM CORPORIS PARTIUM ET POTISSIMUM EXTERNARUM CONSENSU.

Consensus oculi cum cerebro. 270
Oculorum inter se. 271
Cum partibus inferioribus. . . . . ib.

Pag.
Consensus palpebrarum. 273
Consensus narium. 274
Consensus aurium cum cerebro. 276
Cum faucibus et pectore. 277
Cum lingua. 279
Cum dentibus. 279
Cum partibus quibusvis corporis. 280
Consensus dentium. . . . . ib.
Consensus gingivarum. 285
Consensus partium ore comprehensarum. 287
Consensus cutis. 289

JE MAINTIENDRAI.